



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Liber Primvs

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)



Controversiæ generalis Secunda.

De

SACRAMENTO BAPTISMI,
LIBRI PRIMI

CAPUT QUARTUM,

De

Necessitate Baptismi.



Væ de formâ Baptismi ex Augustino ad vindicias doctrinæ Evangelicorum contra Bellarmini adulationes dici possent, supra jam dicta sunt & vindicata, ubi de formâ Sacramentorum in genere fuit actum, unde jam huc repeti possunt & debent. De necessitate nunc agendum est, quam etsi Bellarminus non contra Evangelicos, sed contra Calvinianos solum defendit, ea tamen immiscet, quæ aliquod requirunt examen, ne autoritas Augustini omninò nobis eripiatur, quod in primis atinet rigorosam & horridam nimis sententiam, quâ sub absolutâ & illimitatâ necessitatis prætextu, infantes sine Baptismo morientes regno cælorum excluduntur. Ut enim Bellarminus hanc Baptismi necessitatem defendat, præter Christi verba, Nicodemò regenerationis ex aquâ & spiritu medium ad æternæ beatitudinis acquisitionem commendantia, ad traditionem Ecclesiæ & Patrum provocat, scribens audacter, *Ecclesiam semper credidisse, infantes perire, si absque Baptismo de hac vitâ recedant*, citatis eam rem præter aliorum Patrum Augustini aliquot testimoniis. Et notum est eruditis, prodiiisse Anno hujus sæculi post vigesimum quarto Lovanii Tractatum de statu parvulorum sine Baptismo ex hac vitâ decedentium, juxta sensum Augustini, compositum à Florentio Conrio, Hiberno, Archi-Episcopo Tnamenfi, inter ceteras Cornelii etiâ Iansenii, Professoris tunc Lovaniensis, post Iprensium Episcopi ad probationem munitum, qui Iansenius postmodum in Augustino suo Romæ damnato ex pluribus Augustini testimoniis eandem tuitus & sententiâ, nemine ex adversariis ejus reperto, quid agnus ferret, utur aliàs non pauca in eo, quæ itidem ex Augustino hæuisse videri voluit, & quidem rigidissimè castigaverint, de quibus infra suis ageretur locis. Ne lector veritatis Evangelicæ studiosus hic etiam jure aliquid desiderare possit, sed cognitum habeat, quid de hac Augustini sententiâ statuendum sit de quâ uberius erit agendum infra ad sextum de gratiæ amissione librum, in antecessum notari debet, non solum Cornelium Mussum, Episcopum Bitontinum, maximæ autoritatis in synodò Tridentinâ Virum, & Albertum Pignum Doctorem Coloniensem, itidem inter suos celebratissimû, in hac quæstione autoritatè Augustini clevasse, & contra ejus ad aliorum Patrum & Doctorum, Ambrosii & Hieronymi, Thomæ Aquinatis & Bonaventuræ autoritatem provocasse, quorum verba Gerhardus noster suæ Confessioni Catholicæ inseruit, quod præsertim contra Bellarminum intervere potest, omnes ferè Patres idem cum Augustino docere scribentem, & Ambrosium cum Hieronymo in specie laudantem; sed alios etiam Ecclesiæ Romano-Papæ scriptores contrariam & benigniorem sententiam pro salute infantum sine Baptismo morientium, partim ex Augustino etiam propugnasse. Georgius certè Cassander, quem proximè teletem veritatis ingenium habuimus, in peculiari de hac quæstione tractatu, ubi Gersonis, Cellarii quondam Parisiensis, singularis olim & nunc inter eruditos æstimû virum, Brelis, Tubingensis Academiæ Doctoris celeberrimi, Cajetani, at quanti inter suas Viri, Tilemanni, Segebergensis, Theologi ex ordine Dominicanorum Colonienfis, Thomæ Elfsii, Neapolitani, (qui duos postremi Augustinum ad suas partes & benigniorem, ut dixi, de infantibus non baptizatis sententiam trahere laborarunt) testimonia prolixissimè adduxisset, ita pro eadem ex Augustino scripsit: *Invisibilem significationem sine Sacramentis visibilibus adesse & prodesse posse*, Augustinus ipse testatur; *visibilem verò significationem quæ sit Sacramentum visibile sine invisibili significatione posse adesse quidem, non autem prodesse*. Nec tamen ideo visibile Sacramentum esse conveniendum, quia contentor ejus invisibiliter sanctificari non potest. Et post aliqua: *Augustinus, cum docere instruit, infantes quoque, qui ad Baptismum obferuntur, rectè pœnitentes & fideles dici, hunc in modum loquitur*: Si propterea infantes rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium modo quodam profitentur; cur non prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem gestantium verba

De Her.
Pelag. T. I.
lib. 3. cap.
20. p. 165.

Tom. III.
pap. 905.

Oper. pag.
772. & seq.

verba Diabolo & huic seculo renuntiare monstrantur? *Nec ignoro*, inquit *Cassander*, *illum continuo subjicere*, totum hoc in spe fieri, vi Sacramenti & Divinae (per Sacramentum) gratiae; & *adfirmare*, credere, esse infantibus baptizari, non credere autem, non baptizari. *Consideret tamen pius lector*, *annon pie existimari possit*, rem, hoc est, Baptismi gratiam, quā innumeris fidelium infantes cooptantur, jam spe conceptam DEI benignitate representari, quando Baptismus jam voluntate & voto presumptus sola necessitate praecepitur? *Durum sane videtur*, simpliciter intelligi, non credere infantibus esse non baptizari, praesertim in iis, qui jam in Ecclesia Christi oblato per verba gestantium ante se credere sunt professi, quā in se externum Baptismi signum receperunt; quo signo si necessitate excludantur, ut se forte post editam hanc fidei professionem expirent statim, *annon durum erit*, hanc fidei professionem falsam & irritam judicare? *Quod si haec Penitentia & fidei professio inanis & otiosa non fuit*, mirum certe videtur, cur eos deteriore, quā adultos conditione faciamus, cū in adultis conversionem cordis, quae fit in penitentia, & fidem cum Baptismi desiderio conjunctam, intercepta Baptismi occasione, ad gratiam Baptismi consequendam sufficere fatemur. *Quid, quod idem adserit Augustinus*, invenire se, non Passionem tantum pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed fidem etiam, cordisque conversionem, si forte ad celebrandum Baptismi mysterium in angustiis temporum succurri non potest. *Ac idem de infantibus ait*, & fideles eos recte vocari, quia fidem per verba gestantium modo quodam profitentur; & prius haberi penitentes, cū per eorundem gestantium verba Diabolo & huic seculo renuntiare monstrantur. *Non deest ergo infantibus, nec fides, nec conversio cordis, quae illis per DEI benignitatem imputatur; cur non etiam ex eadem DEI benignitate, id quod externo deest signo, in illis suppleri credimus, si forte ad celebrandum Baptismi mysterium in angustiis temporum succurri non possit?* *Adfirmat idem Augustinus*, exemplo Latronis declarari quantum valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod Apollolus ait, *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*; sed tunc demum invisibiliter impleri, cū Mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. *At qui haec fides & Confessio, cum, si per aetatis infirmitatem deest, infantes à Baptismi Sacramento non prohibeat, sed bonitate DEI, fidem, vota & Ecclesia preces ac suam potissimum promissionem intuentis, non aliter quā ij, qui corde credere & ore confiteri possunt, ad Sacramentum Baptismi suscipiendum idonei habeantur; cur non eadem valebit ratio ad invisibilem Baptismi gratiam sine visibili Sacramento Baptismi consequendam, si Mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludat.* *Addit Augustinus*: Sicut in illo latrone, quo ex Baptismi Sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contentu, sed necessitate; sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem omnipotentis gratia implere credenda est, quod non ex impiā voluntate, sed ex aetatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. *Quae se, quae injuria fiet bonitati divinae, si de infantibus hoc modo dicamus: Sicut in Latrone, quod ex Baptismi Sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas; sic in infantibus, qui nondum baptizati moriuntur, eadem omnipotentis gratia implere credenda est, tum quod non ex impiā voluntate, sed ex aetatis indigentia nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem, tum etiam, quod ex Baptismi Sacramento, non superbia vel contentu, sed necessitate tantum in illis deest? Et cum postea de Baptismo & Conversione cordis, ex quo utroque salus hominum completur, subjiciat, & illud sine isto esse posse in infante, & hoc sine illo (fuisse) in Latrone, complente DEO sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset; cur hic immensam DEI benignitatem arēt abimus, ut non liceat dicere, complere DEVM in infante utrumque, tum Baptismi Sacramentum, tum cordis conversionem, ut quae non ex voluntate defuerint?* Post plura, ubi Bernardi, Lombardi, Bonaventurae, Thomae Aquinatis similia in rem praesentem testimonia ad hoc institutum adplicavit *Cassander*, pro infantum absque Baptismo morientium salute obtinenda nihil planè intermittens, ad Augustinum rediit, duriora quaedam ejus contra hanc scripta sequentem in modum emolliens: *Non nescimus, Augustinum in disputationibus contra Pelagianos vehementer contendere, necessarium esse infantibus Baptismum, & citra Baptismum eos non salvari. Verum ea disputatio adversus Pelagianos faciebat, qui infantibus remissione peccatorū, quod ab Adamo propogari negabant, opus non esse confirmabant, baptizari eos tamen, non in remissionem peccatorum, sed ad regnum DEI. Contra vero Augustinus necessarium ideo infantibus Baptismū adserbat, ut in iis aeternae mortis reatus, quem ex peccata primi hominis generatione carnali*

Rom. 10.

nali contraxerant, regeneratione spirituali in Baptismo solveretur; quæ regeneratio per Baptismum prorsus esset otiosa & supervacua, nisi infantibus inesset originalis peccati contagium, quod Baptismo necessum fit expurgari. Verum hæc opinio rationibus Augustini nihil adversatur. Agnoscat enim, infantibus inesse peccatum generatione carnali contractum, quod spirituali regeneratione solvi necesse sit. Itaque Baptismi gratiam non tantum ad regnum DEI consequendum, sed ad remissionem peccatorum obtinendam illis necessarium esse concedit. Hoc tantum opinio hæc pie credit, hanc Baptismi gratiam voto Baptismi, quando haberi actu non potest, ex DEI clementia representari. Atque hæc de Augustino, inquit pro conclusione Cassander, sequentia de eo addens, qui fortassis, si hujusmodi rationes, non heresis alicujus stabilienda animo, sed solo amplificanda DEI bonitatis studio proferri audivisset, non eam opinionem ut impiam rejecisset; siquidem hæc opinio, quæ Baptismi gratia, id est, adoptio filiorum DEI, societas corporis Christi & hæreditas regni celestis, infantibus desiderato Baptismi signo mortis necessitate exclusis, contingere posse creditur, nequaquam hanc Baptismi gratiam à Baptismi Sacramento dirvellit, ac sententia Christi, cum ait, neminem regnum Dei ingressurum, nisi ex Aquâ & spiritu renascatur, minime resistit; non sanè magis, quàm ea, quæ adultos Fide Christi præditos & Baptismi Sacramentum, expetentes, si necessitate ab eo excludantur, à Baptismi gratia non excludit, cum utriusque Baptismo aque sine idonei, & fidem suam, hi propria, illi fidei justorum opera proficiuntur, nihil, in us ad Baptismum præter aquæ tinctionem requiratur, & spiritus, cujus in regenerando præcipue partes sunt, quamvis ex instituto Christi per aquam operetur, tamen non ita obstructus sit aquæ, ut sine eâ vim regenerandi exercere non possit. Neque verò aqua non ablutio eterna hic omninò abesse dicenda est, quam voluntas, votum & desiderium cum fide conjunctum Deo cordium inspectori & estimatori jam modo quodam representant. Hæc omnia ex Augustino & ad Augustini mentem, ut videri voluit, Cassander, qui utut hodiè rigidioribus inter scriptores Papæos, nominatim Bellarmio gratos non sit, ejusque autoritas non ita magni æstimetur; fuerunt tamen & antehac, præsertim Colonienses, primi Consultationis de Articulis fidei inter Catholicos & Protestantes controversis Editores, singulare ei in præfixâ operi præstatione elogiû adscribentes, & sunt hodie non pauci, quibus modestia ejus & in non paucis aperta sinceritas non displicuit, quibus optandum esset ut eam Cassandro plus ultra irent, & cum in tam multis res eis non immeritò suspecta est, quibus ab Evangelicâ veritate disceditur, in cæteris etiam conscientie ferentatem quærerent omnimodam, Et quia Cassander in hujus questionis ad Augustini mentem evolutione etiam Bernhadi mentionem fecit, qui tamen ad Augustini autoritatem in hac re provocavit, non planè nullius operi erit pretium, hunc quoque veritatis testem quam-maximè huc pertinentem audire, quæ sequentibus verbis suam expressit sententiam: *In majori ætate, quisquis post vulgatum ubique Baptismi remedium veniit jam baptizari, generali originali macula addit ex proprio crimine superbia, duplicem portans scilicet cum justissime damnationis causam, si de corpore sic exire contigerit. Tamen si ante exitum respuerit, & voluerit & petierit baptizari, sed mortis articulo præoccupatus forte nequeverit obtinere, dum non desit fides recta, spes pia charitas sincera, pro optinus mihi sit Deus, quid huic ego ob aquam solam, si defuerit, nequaquam omninò possum desperare salutem, nec vacuum credere fidem, nec confundere spem, nec excidere (foras, excindere) charitatem, tantum si aquam non contempserit, sed sola, ut dixi prohibeat impossibilitas. Si quis aliter sapit, videri potest sibi per suaserit, quod adserit; nam me non facile fateor adferre, si non firmiter induxerit vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum aut horitas. Ne autem solus vel primus ita sensisse videatur Bernhadius, præter Ambrosii ad Augustini quoque autoritatè provocavit, ea illius verba adducens, quæ Cassander proximè & prolixè exhibuit hæc cum observatione additâ: Non ignoro, retractare ipsum, quod posuerat de latrone, minus idoneum ad comprobandam illam sententiam consistere, quod sanè incertum sit, utrumnam fuerit baptizatus. Ceterum, sententiam & audacter prosequitur, & multipliciter confirmat, nec usquam nisi fallor retractasse reperies. Et ubi testimonio aliunde desumpto idem confirmavit, ita postmodò singulari confidentiâ scripsit: *Ab his duabus columnis, Augustinum loquor & Ambrosium, crede mihi, difficile avellor; cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor, credens & ipse, sola fide hominè posse salvari, cum desiderio Sacramentum percipiendi, si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans seu vis alia invincibilis quacumq; obvia verit. Vide etiam, ne forte hoc hoc salvator cum diceret, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, caute & vigilanter non repeterit, qui verò baptizatus non fuerit, sed tantum inquit, qui verò non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens, solam inter dum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. Hæc verba Bernhadi ad Augustini mentem scripta ut ad præsens institutum per-**

Epist. 27.
ad Aug. de
S. Vict.

Marc. 16.

pertinere videantur, *Cassandrum* adhuc semel audire iuvat, ad similia Lombardi, Bona-
 venturae, Thomae Aquinatis ita notanter scribentem: *Non ignoramus, ea de adultis tan-*
tum ab ipsis intelligi. Verum videntur hæc ad infantes quoque non incommode
 transferri posse; nihil enim eis ad Salutem prærer a quæ tinctionem deesse videtur, ad
 quam voluntate & Fide parentum & Ecclesiæ jam sunt destinati. Cur igitur non hic
 quoque dicamus supplere omnipotentis benignitatem, quod Sacramento defuerit,
 nisi Deum se infantibus severiorem, quàm adultis exhiberi putemus? Quam ob rem
 credibile est, cum Gratia signis non sit adligata, Deum pro clementiâ sua absentiam de-
 siderati Baptismi non imputare, sed votum habere pro facto, idque, quod jam volun-
 tate & voto est inchoatum, perficere, ac quod externo deest Signo, de exuberante
 fonte largissimæ Gratiæ suæ benignè supplere. *Addit pro uberiori huius argumenti illu-*
stratione: Quid verò, si quis Pater-familias inter medios habitans Barbaros longè à
 Christianorum omnium commoratione remotus aliquando à Christiano aliquo, in
 cuius consuetudinem fortè incidit, initia Religionis acceperit, ac postea vel recor-
 dando, quæ ab eo intellexit, vel etiam relicto apud se, vel aliundè adquisito Evangelio-
 rum libro, legendo usque eò profecerit, ut jam se & familiam suam, in quâ & Infantes
 sint, Christo per Baptismum consecrare firmiter statuerit, sed Ministri, qui Sacramen-
 tum Baptismi administret, facultas desit, atque ipse cum universa Familia vel subita
 lue, vel aquarum illuvione, vel Ignis incendio, vel grassatorum aut hostium ferro tol-
 laturè vitæ; credo, dubitabit nemo, adultos omnes, qui se jam Fide ad Deum conver-
 terant, & Baptismi Sacramentum voto perceperant, Baptismi gratiâ non privari. Quid
 verò de infantibus illis statuemus? An illos solos illo Christi Beneficio, quo sibi devo-
 tos & consecratos in gratiam recipit, privari dicemus, qui jam unâ cum adultis illis
 Christo addicti & dedicati fuerunt? Nihil igitur Pietatis adversabitur, si credamus,
 huiusmodi è fidelibus natos Parentibus, & jam voto parentem Deo ex utero conse-
 cratos eo esse loco apud Deum, quo olim habitati sunt Catechumeni, qui jam Christia-
 næ Societati nomen dederunt. Neque enim tum demùm Fidem eam, qua ad ac-
 cipiendum Baptismum sunt idonei, infantibus ferri acceptam est credendum, cum in
 Ecclesia eam per ora gestantium profitentur, sed jam indè, ut dixi, ab utero, quando
 piis Parentum votis & precibus Christo consecrantur, & Sacro-Sancto destinantur
 Baptismo. Id confirmare videtur Ecclesiæ prisca consuetudo, quâ Infantes statim
 atque in lucem editi sunt, si vitæ periculum imminere videtur, nullâ Fidei pro-
 fessione antegressa sine cunctatione baptizantur, atque is Baptismus habetur le-
 gitimus, quod signum est, eos in eo necessitatis articulo non minus Bap-
 tismo aptos haberi, quàm si in Ecclesiâ fidem essent jam professi. Mirum fanè
 videri possit, cum summo consensu tradant omnes, Baptismum Flaminis, quæ est vis
 Spiritus Sancti, conferentis gratiam & peccata condonantis, absque Baptismo flumi-
 nis, quem necessitas, non voluntas excludit, sufficere ad Salutem posse, cur in solis In-
 fantibus id locum habere negetur; præsertim cum rationes omnes, quibus hic Bap-
 tismus flaminis sufficere probatur in tempore, *pulchrè etiam Infantibus accommodentur.*
 Hæc iterum pro Sententiâ magis favorabili *Cassander*, qui dum inter cætera pro ejus de-
 fensione argumenta ad Catechumenos etiam ante Baptismi susceptionem defunctos
 provocat, in memoriam revocari possunt, quæ suprâ, ubi de veris Ecclesiæ membris fuit
 actum, *de Catechumenis non baptizatis*, è Ferdinandi Mendozae Apologeticis pro Conci-
 lio Illiberitano ad Clementem octavum Discursibus, ad explicandam de iis Augustini
 Sententiam fuerunt exscripta, huc omninò referenda & quam-maximè pertinentia.
 Etsi enim hæc omnia quæ hætenus è Cassandro & Bernharo adducta sunt, rigidam
 Augustini de Infantibus ante Baptismum mortuis & hinc damnationis æternæ periculo
 expositis Sententiam planè non evertant, in quam nimîâ Pelagianorum quoad Baptismi
 necessitatem facilitate, ab uno nimirum extremo, ut plerumque fieri solet, ad aliud est
 delapsus, mente non mala, ut videlicet non tam præcepti, quàm medii etiam necessita-
 tem ex verbis Christi, contra Pelagianos eam elevantes adstrueret, eas non prævidens
 inconsequentias, quas ex hoc rigore derivari præter alios *Cassander* diligentissimè ob-
 servavit, & quibus nondum hætenus à parte adversa satis ex asse est factum; ni-
 hilo tamen minus non malè nec impertinenter ex aliis augustissimi Docto-
 ris hypothefibus Orthodoxis, & ab adversa etiam parte receptis pro Sententiâ
 magis favorabili militatur, re ad *Cassandri* monitum extra dubium posita, Sanctum Pa-
 trem, si hæc accuratius ponderasset, consensum non fuisse denegaturum, sed quæ aspe-
 rius contra adversarios, in hoc Fidei puncto molles, adfirmavit, quâ fuit modestiâ, Veri-
 tatis

Ibid. pag.
775. &
776.Conf. D.
Feurb.
Fasc. II.
Disp. 7. p.
m. 281. &
seqq.

tatis in gratiam non illibenter retractaturum & emendaturum. Nobis ea inter sufficit, iis ex Augustino dictis pro Salute Infantum sine Baptismo decedentium niti Sententiam, quæ is non semel vel uno in loco, neq; incidenter & aliud quasi agendo, sed sæpius & ex professo suis inseruit Scriptis, prægnantes suppeditantia rationes, quibus Infantes non baptizati periculo æternæ damnationis verisimiliter latis, ad ductum S. Scripturæ ac Fidei ex eâ analogiam, aliis etiam Ecclesiæ Doctores antiquis & recentibus suum præbentibus consensum subducuntur & eripiuntur. Et dum eadem Augustini testimonia, de quibus ex Bernhardo & Cassandro hæcenus actum, & Gratianus Juri Canonico, & Lombardus Suntentiarum Libris notanter inseruerunt, eò plus autoritatis & æstimmii eis ad crescere patet, quò majori autoritate & æstimmio utrumque opus apud rigidioris Sententiæ defensores pollere certum est. Non autem opus esset, id quod ex Vindiciis Evangelico-Thomisticis iteratò hic repetendum venit, Scriptores Papæos tam duriter de Infantibus sine Baptismi Sacramento decedentibus judicare, ac tam rigorosè pro summa & absoluta necessitate hujus Sacramenti, pugnare; cum si ad non unas in Eorum Scholis utilitas hypotheses & doctrinas attendatur, multa sese offerant, quæ non parum ejus præsentiam necessitatem videantur infringere, imò reverà infringant & imminuant. Navavit & hic utilem operam, cujus vindicias tum contra Thomistam Lovanensem scripti, D. Dorscheus, Præceptor meritißimus, quot modis id fiat, ostendens, nimirum non solum per absolutum Electionis aut Reprobationis decretum, juxta ipsius Bellarmini, Tanneri & Becani hypotheses; non solum per modum operandi Sacramentis communiter à plurimis Scriptorum inter Papistas tributum, ajentes, Sacramenta esse moralia tantum Instrumenta, & in collatione Gratiæ moraliter tantum agere; neq; etiam solum per defensam singularibus quibusdam hypothesibus Sacro-Sanctæ Trinitatis ubiquitatem, qua confundere convincuntur præsentiam apud omnes creaturas universalem cum eâ, quæ ad Gratiæ regnum pertinet, quæ Deus singulari & ineffabili modo tum in ipsis est fidelibus, tum etiam in mediis & organis Gratiæ, per quæ secretissimam (pariter) & salutiter dispensat gratiam; sed in specie etiam in superque per ipsum Dogma Transsubstantiationis, à cujus summâ necessitate ad minorem Baptismi & nullam ferè necessitatem, imò ipsius Sacramenti nullitatem ritè & per legitimam concludi consequentiam, ibi nervosè simul & accuratè ostenditur. Producta quoque in iisdem Vindiciis est Cajetani hypothesi, ut & Authoris *Margaritæ Confessorum*, idèò quia & nuperus Scriptor *Amadeus Guimenez* in opusculo Moralie ejus fecit mentionem, ut non ad probando, sed eam reprobando; hæc tamen cum observatione, *Vasquezium*, ut ut rigidiori Sententiæ additum, ad ea tamen omnia respondisse argumenta, quæ Cajetani antagonistæ contra hanc Eius sententiam quasi hæreticam & ab Ecclesiâ damnatam ex Synodorum Constantiensis, Florentini & Tridentini Decretis produxerunt, quamvis nuperus Staterista & Ponderator non adèò Benignus semper *Andreas de Mendo*, his Vasquezii pro Cajetano vindiciis aut non visis aut non attentis, eam nullatenus censuerit admittendam, æque *Ledesma*, *Nugnone*, *Vegà* & aliis damnatam exhibuerit. Adderem hic prætermittam ibi *Campanella*, Scriptoris hoc Seculo & inter sui ordinis homines celeberrimi & à singulari Ingenio multis commendatissimi pro infantum sine Baptismo morientium ex fide Parentum salvatione Sententiam, nisi eam multos temerariam, erroneam, contra torrentem Theologorum, in maximi re momenti, sed tamen non hæreticam dixisse, monetet *Caracmuel*, argumento etiam, quo *Campanella* ad opinionis suæ defensionem est usus, Baptismi Sacramentum esse Privilegium causatus, prolixissimè satis, ut putat, faciens, quod suo jam loco relinquimus, hoc solum addentes, has & alias Scriptorum Papæo-Romanorum hypotheses esse certo quodam modo Veritatis Evangelicæ pro salute Infantum sine Baptismo decedentium confessiones & testimonia, catalogo Testium Veritatis & Confessioni Catholicæ suis inferenda locis.

CAPUT SEXTUM,

De Baptismo Sanguinis.

Quoad illius virtutem & effectum *Chemnitius* hic vindicias reposeit, quia Eum Augustino ob Sententiam *Cypriani* injuriam intulisse conqueritur Bellarminus. Res ita habet. *Chemnitius* in Examine Canonis Tridentini de Necessitate Sacramentorum in genere agens, adq; necessitatem Baptismi in specie deveniens, confert de eâ *Cypriani* & Augustini Sententiam verbis sequentibus: *De articulo necessitatis in Latrone non baptizato idem dicit Cyprianus, quod Augustinus, sed fundamenta longè sunt diversa. Cyprianus sentit, Latronis passionem Baptismi vicem supplere; Augustinus verò rectius sentit, Fidem cordis adprehendentem Christum justificasse & salvasse latronem, cum articulus necessitatis excludere.*

ad cap. 4.
Exod. Dif-
fert. 11. n.
3. & seqq.

Theol.
Fundam.
Tom. II.
pag. 523.
Edit. Lug-
dun.

cluderet Baptismum. Bellarminus in his Chemnitii verbis duo mendacia esse dicit, *primum* cum ait, Augustinum adterere, latronem solâ Fide Christum adprehendente justificatum; non enim hoc Eum dicere, sed, Latronem fide & conversione cordis ad Deum esse justificatum. *Secundum;* cum ait, ab Augustino refutari Cyprianum, qui crediderat, Martyrium eo justificare modo, quo Baptismus, id enim impudens esse mendacium, cum Augustinus non modò non refutet, sed etiam laudet Cypriani Sententiam. Docere quidem ibi Augustinum, Latronem non posse dici Martyrem, nec salvatum Baptismo sanguinis, verum Baptismo flaminis; sed hoc dicere Augustinum ad confirmandam Cypriani Sententiam. Addit hanc rationem: *Si Baptismus Flaminis justificat, multò magis Baptismus sanguinis, ut Cyprianus dixerat.* Ne vel Cypriano, vel Augustino, vel Chemnitio vel Bellarmino fiat injuria, postquam verba horum vidimus, inter omninò est, ut & illorum videamus. Et Cyprianus quidem in ad Jubajanum Epistolâ suam de hæreticorum baptismo sententiam acriter defendens, Verbis Christi ad Nicodemum necessitate regenerationis ex aquâ & Spiritu, hæc subjunxit: *Hoc in loco quidam, quasi evacuare possint humanâ argumentatione prædicationis Evangelicæ veritatem, Catechumenos opponunt nobis, si quis ex his ante, quam in Ecclesiâ baptizetur, in confessione nominis adprehensus fuerit & crucifusus, an spem Salutis & præmium confessionis amittat, eo quod ex Aquâ prius non sit renatus? Sciunt igitur hujusmodi homines, hæreticorum suffragatores & fautores, Catechumenos illos primò integrâ Fidem & Ecclesiâ unitatem tenere, & ad debellandum de Divinis Castris Sathanam cum plenâ & sincerâ Dei Patris, Christi & Spiritus Sancti cognitione procedere. Deinde, nec privari Sacramento Baptismi, ut potè qui baptizentur gloriosissimo & maximo Sanguinis Baptismo, de quo & Dominus dicebat, habere se aliud Baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos & Passione sanctificatos consummari, & Divinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa Passione credentem & consistentem loquitur, & quod secum futurus sit in Paradiso pollicetur.* Nunc quid Augustinus ad hæc scripserit, super adhuc est, ut etiam attendamus: *Baptismi vicem aliquando implere Passione, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in Paradiso, non leve documentum Beatus adsumit Cyprianus. Quod etiam atque etiam considerans invenio, non tantum Passione pro nomine Christi, id posse, quod ex Baptismo deerat, supplere, sed etiam Fidem cordisque conversionem, si fortè ad celebrandum Baptismi mysterium in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim Latro ille pro Christi nomine crucifixus est, sed pro meritis facinororum suorum, nec, quia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat sine visibili etiam Sacramento Baptismi, quod Apostolus ait, corde creditur ad Justitiam, ore autem fit confessio ad Salutem, in illo Latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum Baptismi mysterium non contemtu religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et in sequentibus: Sicut in latrone, quia per necessitatem corporaliter Baptismus defuit, perfecta Salus est, quia per Pietatem spiritualiter adfuit; sic & cum ipsa præsto est, si per necessitatem defuit, quod Latroni adfuit, perficitur Salus. Quod traditum tenet Universitas Ecclesiæ, cum infantes parvuli baptizantur, qui certè nondum corde possunt credere ad Justitiam & ore confiteri ad Salutem, quod Latro potuit, quia etiam stendo & vagiendo, cum in eis Mysterium celebratur, ipsis vocibus moestis obstrepunt; & tamen nullus Christianorum dixerit, inaniter eos baptizari. Et iterum, Sicut in illo latrone, quod ex Baptismi Sacramento defuerat, completit Omnipotentis benignitas, quia non contemtu vel superbiâ, sed necessitate defuerat; sic in Infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem Omnipotentis gratia implere credenda est, quod non ex impiâ voluntate, sed ex atatis indigentia nec corde ad Justitiam possunt credere, nec ore confiteri ad Salutem.* Judica ex his Augustini verbis Lector optime, annon duplex illud mendacium, quod Chemnitio impudenter Bellarminus impexit, in auctorem adulationis recidat & optimo jure possit retorqueri, dum Augustinus apertissimè Cypriani Sententiam de Latrone per Baptismum Sanguinis salvato non solùm deserit, sed & expressè refutat, Latronem non pro Christi nomine crucifixum, sed pro meritis facinororum, verè & rectè statuens, Eumque non quia credidit passum, sed dum passus fuit, credidisse notanter docens, causamque Salvationis nullibi Martyrio Ejus vel Passioni, sed ex parte Dei summæ Ejus Benignitati, ex parte autem ipsius latronis Fidei ejus & confessioni salvificæ de Christo adscribens. Indè *Pamelius* etiam in suis ad laudatam Cypriani Epistolam Notationibus observavit, Augustinum in suis Retractionibus existimasse, non satis idoneum esse ad hanc rem de Baptismo Sanguinis comprobandam Latronis exemplum, quod Cyprianus attulerit, itaque ab aliis id ipsum confirmari per Martyrium innocentum. Et quamvis post alios non ita pridem *Thomas de Hurtado*, in de Verò Fidei Martyrio Resolutionibus, ut vocat, orthodoxo. Moralibus contra Antagonistam, quem in toto opere sibi refutan-

dum proposuit, *Theophilum Raynaudum*, Societatis Ignatianæ Scriptorem, pluribus operum Tomis in erudito orbe celebrem, Authorem imprimis libri & novæ inter Theologos Sententiæ de *Martyrio per Pestem*, hanc de latrone Christi Martyre Sententiam protulit, statuens, eum fuisse baptizatum *Baptismo Sanguinis*, respondere etiam conatus ad laudatum Augustini testimonium, quasi intentum *Ejus fuerit docere, Latroni Martyrum non fuisse necessarium, ut salvaretur, addens, omnes ferè Patres, qui hujus Latronis attigerunt mortem, ipsum plenis buccis Martyrem adpellasse*. Sed quam inanis sit hæc ad Augustini testimonium exceptio, integer ejusdem contextus ostendit, in quo nulla Martyrii mentio legitur, sed de Fide tantum & Confessione Latronis sermo est, imò Martyrii elogium ei non obscure, sed aperte latis denegatur ab Augustino, dum non pro Christi nomine, sed pro facinororum merito crucifixus, nec quia credidit, passus, sed dum passus est, creditur dicitur, ut modò observatum. Quorsum omninò referri debet, quod citante eodem

Hurtado Augustinus alibi expressè de hoc Latrone scripsit, *Non baptizatus Baptismo Sanguinis, sed propter Fidem & Conversionem consecutus est Paradisum*. Ut ut enim huic etiam Sententiæ glossam adficere tentavit *Hurtadus*, scribens, *Augustinum idè hoc dixisse, quia cum certum sit, Latronem hunc consecutum fuisse Cælum, in opinione verò positum, an sit Martyr & baptizatus Sanguine suo, omninò tenendum esse, quod habuerit Baptismum fluminis, quod sit medium ex Scripturâ constans, si quidem dixerit, Memento mei, Domine, cum veneris in Regnum tuum; quod verò fuerit Martyr, non constare ex Scripturâ, & hunc esse Augustini Scopum*; Nihil tamen obtinet, non nisi inania dans verba, ut claritatem verborum Augustini obscuret, quia & per ea sibi met ipsi contradicens, falsus, in opinione, id est, in dubio apud Augustinum fuisse positum, an *Latro Martyr fuerit, & Sanguine suo baptizatus, imò illud ex Scripturis non constare*. Alia Patrum & Augustini etiam, si modò Augustinum agnoscunt Patrum Sermones, qui Eidem adscribuntur, quod attinet Elogia, quibus Latronem hunc suis auditoribus quasi *Martyrem* commendârunt, benè censuit, qui hæc non *dogmatis*, sed *parvorum* dicta esse scripsit, *Eschio* etiam non malè in suis ad Evangelicos Scriprores Notationibus judicante, *Latronem hunc propter admirandam Confessionem à Patribus interdum vocari Martyrem, quia tam insigne Christo perhibuit testimonium quando nondum erat in Gloria, sed extrema adficebatur ignominia, & ab omnibus tanquam hominibus vilissimum contemnebatur, qualem alius Martyrum nullus fecit confessionem, ut in eo maxime verificatum fuerit illud Christi, Beatus, qui non fuerit scandalizatus à me*. Et ad hunc sensum videtur pertinere discussio Quæstionis, an, dum Christus in Apocalypsi Johannea Martyr & Testis dicitur fidelis, Christus propriè & in sensu Ecclesiastico verè Martyr dici possit? de qua idem *Hurtadus* loco eodem contra eundem *Raynaudum* disputat, contra quem in antecedentibus etiam agit de innocentibus Bethlehemiticis, quos loco Latronis ad confirmationem Baptismi Sanguinis substitui paulò ante dixit *Pamelum*, de quibus tamen aliàs & alibi.

Lib. I. de Orig. Animæ, c. 9.

vid Ursin. Advers. S. pag. 452.

Ibid, p. 49.

CAPIT DECIMUM ET UNDECIMUM,

De Fide Infantum.

Iterum ad *Chemnitii* vindicias vocamur, quem *Bellarminus* in hujus Quæstionis Expositione adculat, Eum mirà fraude & artificio, quin & aperto adserere mendacio, Sententiâ de Fide Infantum, quam Evangelici profitentur, concordare cum Sententiâ *Lutheri*, & *Lutherum cum Augustino*. Id ut evincat, in declaratione prolixiori ad primam Propositionem, quâ statuit, *Infantes non habere actualem Fidem*, ad non unius generis monita ex Augustino provocat *Bellarminus*, ut quod dicit, *Eum ridere hanc Sententiam, ut potè quæ injuriam faciat sensibus humanis; quod docet, parvulos non habere Fidem, quæ est in cogitatione; item, non habere Sensum fidei; denique non habere, quod Paulus dicit, Corde creditur ad Justitiam &c. pluribus ad hæc omnia locis ex Augustino citatis, ex quibus intelligi scribit porro *Bellarminus, Chemnitium temerè & mendaciter omninò scripsisse, eandem esse in hæc Lutheri & Augustini Sententiam, addens, à Lutero Fidem ipsam actualem tribus parvulis, cujus contrarium tot in locis doceat Augustinus; imò Lutherum in libro contra Cochleum fateri, contra se in hæc Quæstione Augustinum habere, & tamen Chemnitium impudenter invictum Lutherum cum in vivo Augustino concordare suo mendacio voluisse*. Subjungit his præter alia *Bellarminus, Propositionem hanc probari etiam ratione Augustini, quia, cum constet, Infantes & vocis ejulatu & motibus corporis reluctari & obstrepere Baptismo, si verè intelligerent, quod necesse est, si credere debent, quid agatur, rei fierent ingentis Sacilegii, nec abluerentur, sed magis sordidarentur*. In responsione ad hæc non prolixè urgebo, quæ *Bellarminus* sibi certo quodam modo contraria videtur scribere in cæteris Propositionibus, ut quod in tertiâ Propositione fateri coactus fuit, *infantes non justificari sine ulla Fide, Augustini etiam**

Rom. 10.

etiam testimonio usus, ex Christi ad Nicodemum de regenerationis ex Aquâ & Spiritu necessitate verbis docente *Infantes baptizatos aliquam habere Fidem*; quod item in quarta Propositionis explicatione, quâ ad Synodi Tridentinæ mentem *pro infusione habitus Fidei in Baptismo* factâ pugnavit, ex Augustino concessit, *Infantes per Baptismum non solum purgari, sed illuminari etiam, quod non nisi per Fidem possit fieri*; hanc quoque rationem ex Augustino adhibens, *quod ita dicantur non ab actu, sed habitu Fidei*, & addit etiam explicatione verborum Eius, quibus *Elogii hujus Beneficium*, quod nimirum fideles dicuntur, *acquiri per virtutem, Sacramenti* scripsit; ut & quod ab Eodem Augustino juxta Pauli ductum *Deus in parvulis habitare* dicitur, videlicet *quoad habitum Fidei*, item, *quod Deus isdem parvulis, dum baptizantur, occultam dicitur infundere Gratiâ*; quin & insuper, quod ad priorem quintâ Propositionis partem, quâ expressè statuit, *Parvulos actu credere & reipsâ dum baptizantur*, itidem ex Augustino adduxit, *Infantibus ipsum baptizari esse credere, quia nimirum ipsa Baptismi actio sit professio Fidei*; quæ tamen omnia variè possent ad confirmandam Evangelicorum de actuali Infantum baptizatorum Fide, per Baptismum Divinitus concessa, Sententiam inservire, si ex adversarij solùm hypothefibus de Augustini Sententia statuere, & non potius ex ipsomet Augustino orthodoxam de hâc Quæstione mentem elicere liceret. Quod dum Chemnitius noster iterum solidissimè, prout solitus est, & simul perspicuè præstitit, non possum non hic etiam uti Eius operâ, atque Lectori industriam Eius iteratò sistere & commendare, dum omnibus iis prævenit, ac sufficienter in antecessum ad ea respondit, quæ Bellarminus ad eripiendum Evangelicis in hac etiam Quæstione Augustinum Sententiamque Eius obtenebrandam produxit. Ita autem Examinator Anti-Tridentinus: *Ego qui simplicitatem amo, etiamsi nec intelligam, nec explicare possim, quomodo Infantes, qui baptizantur, credant; judico tamen, sufficere firmissima Scripturæ testimonia. Neque enim ab illis propterea discedendum est, si non possim vel intelligere vel explicare, quomodo credant Infantes?* Et postquam præcipua Scripturæ Oracula huc pertinentia laudavit, hæc addidit: *Quia Infantes, qui baptizantur, non pereunt, sed illorum est regnum Cælorum, Quæstio est an Infantes, qui baptizantur, dicendi sint credere vel non credere, habere Fidem vel non habere, an inter fideles vel infideles sint numerandi? Et quidam simpliciter disputant, omnes Scripturæ sententias tantum ad adultos pertinere, non autem ad Infantes; quos Dei gratiâ sentiunt quidem salvari, sed sine Fide, nec tamen volunt Infantes baptizatos inter incredulos numerari. Coguntur itaque, sine autoritate Scripturæ aliquod medium inter Fidem & incredulitatem, inter fideles & incredulos fingere. Huic verò opinioni non possum assentiri, Scripturæ enim sententiæ de Fide sunt universales, & immediatè contraria sunt Fides & incredulitas, fideles & increduli. Post aliqua: Simplicior igitur, verior & sanior est Augustini Sententiâ, qui post adlegatam Christi Sententiâ, Qui non crediderit, condemnabitur, interrogat Pelagianum: Ubi ponis parvulos baptizatos? Profectò, in credentium numero; Nam idè & consuetudine Ecclesiæ antiquæ, canonica, fundatissima parvuli baptizati vocantur fideles. Inter credentes igitur parvulos baptizatos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, si non apertus esse vis hæreticus. Et hanc Sententiâ Augustinus alibi sæpè repetit. Sed, ita porrò scribit Chemnitius, jam oritur Quæstio difficilior multo & obscurior, quomodo Infantes credant, si ve, qualis sit parvulorum Fides? De adultorum Fide enim res non est obscura, est enim & oritur ex auditu, cogitatione, meditatione & adprehensione verbi prædicati. Est ad sensum in mente, Fiducia in voluntate, quâ cor erigitur & quietatur. Credens scit, se credere, vult & conatur Fidem retinere & subinde etiam crescere, luctatur cum dubitatione, diffidentia & trepidatione; exerit efficaciam suam Signis & testimoniis externis &c. Si ergò queritur, an Infantes, qui baptizantur hoc omnino modo credant, an hæc prorsus sit ratio Fidei in parvulis baptizatis? Augustinus respondet negativè, inquit enim: Parvulum et si nondum Fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius Fidei Sacramentum facit fidelem. Ibidem fidelis vocatur, non ad rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. Et alibi dicit, Parvulos baptizatos nondum posse corde credere ad Justitiam & ore confiteri ad salutem. Ubi notandum venit, hæc Augustini verba non in Sensu disjunctivo accipi debere, quasi dicere voluerit, Infantes baptizatos neque corde posse credere ad Justitiam, neque ore confiteri ad salutem, id est, neutrum ipsos posse; sed in Sensu copulativo, nimirum, eos nec corde credere ad Justitiam, nec ore confiteri ad salutem, id est, non ita corde credere ad Justitiam, ut ore etiam possint confiteri ad salutem, ut potè quod posterius ex ætate sua indigentia eos non posse Augustinus ibidem ingenuè agnovit, alibi etiam de Fide eorum, quatenus ea Notitiam requirit, apertè scribens: Scire divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, si verbis ostendere velimus, vereor, ne ipsis Sensibus nostris facere videamur injuriam, quando id suademus loquendo, ubi*

Serm. 14.
de Verb.
Apost.:

Epist. 23.
ad Bonif.

Tract. 80.
in Joh. &
lib. 4. contra
Donat.
cap. 24.

Conf. D.
Hülsem.
Dial. Apol.
pag. 391.
Epist. 57.
ad Dardan.

- omnes vires officiumq; sermonis superat evidentia veritatis &c. Quomodo autem hoc intelligendum sit, sequenti testimonio Augustini ostendit Chemnitius, scribentis, parvulos baptizatos nondum habere sensum fidei. Et hoc est, addit Chemnitius, quod in usitata Questione dicitur, an parvuli actu credant? Quæ questio, si hoc modo, ut Augustinus explicat, intelligatur, manifestum est, quid sit respondendum. Nec tamen ideo dicendum est, parvulos baptizatos, quia non possunt eo modo actu credere, sicut adulti, propterea ipsos nullo planè modo credere, aut nullaratione illis posse Fidem dari à Deo. Sic enim nesciunt Spiritum Sanctum, quamvis sit in eis, inquit Augustinus, sicut nesciunt & mentem suam, imò vitam. Nec tamen ideo dicendum est, ipsos nec mentem, nec vitam habere. Laborat igitur Augustinus, id quod porro observat Chemnitius, ut aliquo modo ostendat, quomodo parvuli dum baptizantur, credant, ne lusus sit, quando, qui Infantem obferunt ad Baptismum, respondent rogati, Credit. Et in multis sane locis disputat, parvulos baptizari alienâ Fide vel Parentum, vel gestantium & obferentium, vel totius Ecclesiæ. Et hoc quidâ ita interpretantur, quasi nulla planè sit Dei actio, nulla fiat operatio Spiritus Sancti in parvulo, dum baptizatur; sed alius baptizetur, alius vero credat, & illa Fides aliena parvulo, in quo Spiritus Sanctus nihil planè operetur, ad Iustitiam imputetur & Salutem. Sed hæc sententia Scripturæ non est consentanea. Hoc quidem verum est, alienâ Fide imperari sæpè aliis corporalia à Deo Beneficia, ut in Historia Cananæa. Potest & hoc Fides aliena Oratione aliquando impetrare, ut impius per Dei gratiam convertatur, illuminetur & propria Fide donetur, Nemo autem ipse carens & desitutus Fide potest justificari & salvari alterius Fide; Justus enim suâ Fide vivet. Nusquam autem Scriptura tradit, alterius Fidem, si Ego sim sine Fide, mihi ad Iustitiam imputari. Et nõ existimo hoc sensisse Augustinum, quod Spiritus Sanctus in parvulis, dum baptizantur, planè nihil operetur; his enim verbis suam explicat Sententiam: Dicimus, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum: sic enim Eum nesciunt, quamvis sit in eis, quem ad modum nesciunt & mentem suam, cujus ratio in eis, quâ uti nondum possunt, veluti quædam scintilla est fopita, ætatis accessu excitanda. Et cum ostendisset, in quibusdam adultis etiam hoc nescientibus habitare Spiritum Sanctum, addit: Habitare ideo & in talibus dicitur, quia in eis occultè agit, ut sint Templum Eius; id quod postea perficit in proficientibus & proficiendo perseverantibus. Et alibi, ubi parvulos baptizatos ponimus, nisi inter fideles, sicut universæ ubiq; Ecclesiæ clamat auctoritas? Ergò inter eos, qui crediderunt; hoc enim eis adquiritur per virtutem Sacramenti & obferentium responsonem. Et ibidem paulo ante: Parvuli per Sacramentum, quod ad hoc Divinitus institutum est, in credentium transeunt numerum. Et iterum alibi, ubi explicavit, quomodo parvulus, qui baptizandus obferitur per officium aliene voluntatis, possit regenerari: Non est scriptum, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex obferentium vel ministrantium fide; sed, nisi quis renatus fuerit ex Aquâ & Spiritu. Aliena igitur fides obfert parvulum ad Baptismum, & ibi Aqua forinsecus exhibet Sacramentum Gratia, Spiritus verò intrinsecus operatur Beneficiû Gratia. Regenerans ergò Spiritus in majoribus obferentibus & parvulo oblato renatoq; communis est; & per hanc societate unius ejusdemq; Spiritus prodest obferentium voluntas parvulo oblato. Hæc Sententia manifestè ostendit, Augustinum non sensisse, baptizatos parvulos alienâ regenerari Fide, vel Parentum, vel obferentium, vel Ecclesiæ; sed à quod alienâ Fides, quæ statuit, Promissionem Evangelii ad parvulos etiam pertinere, obferat parvulum ad Baptismum, in quo donetur ei Spiritus Sanctus, operans intrinsecus & occultè in parvulo, sicut in aliâ quâdam Sententia, quam ALENSIS citat, idem Augustinus inquit: Fides datur & nutritur in Baptismo. Hanc simplicissimè judico esse Augustini Sententiam. Omnia hæc ex auctulitudo non habet Chemnitius, ad quæ pertinet, quod duobus in locis ex eodè, libro tamen non citato, Gratianus comendavit verbis sequentibus: Nulli est aliquatenus, tunc unum quemq; fidelium corporis & Sanguinis Domini fieri participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius Panis calicisq; consortio, etiam si ante, quam Panem illum comedat, calicemq; bibat, de hoc Seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippè illius participatione ac Beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, invenit. Imò referri huc etiam inter alia potest & debet, quod idem Gratianus ex libro Sententiarum Prosperi laudavit, testimonium: Verus Baptismus constat non tam ablutione corporis, quam Fide cordis, quemadmodum apostolica tradidit Doctrina, dicens, Fide mundans corda eorum; &, salvos facit Baptisma, non sordium carnis depositio, sed Conscientia bone interrogatio in Deum, Quæ verba eo plus hie auctoritatis habere debent, quod hunc Sententiarum Prosperi, qui Discipulus & accertimus doctrinæ Augustini contra Eius adversarios Vindex fuit, & alter fere Augustinus, librum ex Augustini Scriptis hinc inde collectum constat, similia etiam ipsius Augustini verba jam supra

Lib. I. de
Peccat.
merit.
cap. 19.

Epist. 57.

Conf. Epist. 105.
ad Sixtum.

Rom. 1.
& 4.

Epist. 57.

Lib. I. de
Peccat.
merit.
cap. 33.

Epist. 23.

c. Quia,
dist. II.
c. Nulli,
dist. IV.

c. Verus,
dist. ead.

supra habuimus, ubi de *Verbo Sacramenti* ex Augustino fuit actum. Et hæc omnia, si lance æquā à studio Veritatis orthodoxæ ponderentur & inter se ita conferantur, quæ ratione partim à *Chemnitio*, partim à Bellarmino, utrinque ad hypothèses receptas fuerunt producta & adplicata, non ad eodē erit difficilis censura, an ritè & ad augustissimi Doctoris mentem hæc testimoniorū collectio facta sit à Bellarmino, & annon ex iis, si debito ordine & loco leganter, radii Veritatis in hæc Quæstione satis clarè adpareant, maximaque iterum *Chemnitio* injuria sit illata, dum fraudulenter, temerè, imò mendaciter Eum in hæc Controversiā versatum Bellarminus scripsit, addens, *Eum cum invito Augustino invitum Lutherum concordare voluisse*. Quod enim scribit, *Lutherum in libro contra Cochlaum fateri, contra se in hæc Quæstione Augustinum habere*; omni alio verborum & rei ipsius examine sepòsito, non ita esse, ipsa docent Verba Lutheri, quæ Bellarminus adduxit: *Dicimus, ad Baptismum infantes credere per vim Verbi, quo exorcisuntur, & per fidem Ecclesie eos obferentis, & eis fidem suis orationibus impetrantis; alioquin mira & intolerabilia essent mendacia, quando baptizans à parvulo quarit, an credat, non baptizaturus, nisi ejus vice responderetur, credo. Ad quid interrogat, an credat, si certum est, eos non credere, ut Cochlaeus contendit. Esto, sic aliquando dicit Augustinus. Sed Cochleo satis sit, esse sic ab homine dictum; nos volumus hoc dictum Divinis probari testimoniis. Quin adserimus, parvulos prorsus non esse baptizandos, si verum est, eos in Baptismo non credere, ne illudatur majestas Sacramentorum & Verbi. Non enim absolutè dicit Lutherus, Augustinum negare fidem Infantibus baptizatis; sed dum ex Verbo Dei fidem hanc Infantum baptizatorum adstruere satagit, ponit, sed non quasi rem certam, verum quæ ab adversariâ parte eidem objecta fuit & opposita, quod si Lutherus aliquandò ita diceret, (quod tamen ab Ipso dictum & scriptum non ita nudè & crudè ob alias Ejusdem hypothèses aliquantò propius ad hunc Scopum pertingentes intelligi debet, ut jam monui, non tamen se ob Divinorum oraculorum claritatē ab hæc Sententiâ ex solius Augustini authoritatis respectu dimoveri, quæ Infantes baptizati credere dicuntur, & creduntur; creduntur, inquit, quia nec ipsi Infantes sensum Fidei habent, juxta Augustini observationem, nec quisquā alius, juxta Ejusdem singulare monitum notatu non indignum, verbis, ad eodē nec alio quovis documento si ab Oraculis Sacræ Scripturæ abeamus, ostendere potest, scire Divina parvulos, inquit, Deum prius cognitum credere, Ejusque promissiones & Beneficia sibi met ipsis fiducialiter adplicare. Solum nunc superest illa ratio, quam contra fidem Infantum baptizatorum Bellarminus ex Augustino videri voluit produxisse, quia cum constet, Infantes & vocis ejulatu & motibus corporis reluctari & obstrepere Baptismo, si verè intelligerent, quod necesse est, si credere debent, quid agatur, rei fierent ingentis Sacrilogii, nec abluerentur, sed magis sordidarentur. Atqui, ut optime hic advertit D. Weinmannus, Antecessor hodiè Altdorphinus, Præceptor antehac meritissimus, hæc Controversiam nuper aliquot Dissertationibus enucleatissimè proponens, nulla prorsus est sequela: Infantes in ipso Baptismi actu ejulantes & reluctantes non intelligunt, quid agatur; ergò etiam non credunt. Cur enim non etiam inferre liceat, ergò non regenerantur, neque renovantur? Nam si ejulatus ille & reluctancia possunt impedire fidem, regenerationem quoque & renovationem impedire poterunt, ac per consequens Baptismus non erit juxta apostolum regenerationis & renovationis lavacrum. Quin imò, si ignorantia eorum, quæ in Circumcisione olim facta & peracta sunt, non potuit impedire fidem parvulorum circumcisorum; etiam in hunc usque diem ignorantia eorum, quæ in Baptismo peraguntur, non poterit impedire fidem parvulorum baptizatorum, cum utriusque Sacramenti in hoc omnino par sit ratio. Tandem negamus etiam simpliciter, Infantes ejulatus suis & reluctationibus ipsi Baptismo adversari, sed potius illis difficultatibus corporis naturaliter obstrepere videntur, quas vel ex aqua (frigidioris) adfusione, vel aeris (præsertim hiemalis) intemperie, vel aliis incommoditatibus in ipso Administrationis actu suborientibus sentiunt. Hæc Præceptor optimus, qui in antecedentibus etiam post Gerbardum egregiè docuit, quomodo actualis illa Fides, quæ ex parte Evangelicorum Infantibus baptizatis ad ductū Sacræ Scripturæ, & Augustini hypothèses adscribitur, ritè debeat intelligi, observans, dici eam ita dupliciter, nimirum actu vel primo, vel secundo. Actū primo, (non merè potentiali, sed) quæ actu inest, etsi per fructus vel operum bonorum exercitium sese non exerat; secundo autem, quæ sese per ea exerit. Priori sensu omnino fidem actualem Infantibus (baptizatis) competere, etsi in vegetum bonorum operum exercitium non prorumpat, nec prorumpere possit, quem ad modum adulti in Somno vel etiam in morbo graviore fidem habent actualem, per quam Christus habitat in ipsorum cordibus, quamvis tum temporis non edant fructus, nec edere possint. Posteriori sensu vicissim ita appellari respectu actionum vel externarum, quæ sunt opera charitatis, quibus foras ad indigum proximū progreditur; vel internarum & propriarum Fidei operationum, quæ licet non hominibus, Deo tamen, in cujus oculis omnia sunt nuda & aperta, quæ maximè sint conspicuæ. Priori respectu, quoad hunc posteriores sensum, fidem actualem in Infantes (etiā baptizatos) non eadere, quæ nimirum per motus sensibiles & operationes externas sese exerit, uti fit in adultis. Non, quod Infantum fides*

Conf. D.
Höpfn. de
Justific.
Disp. II.
pag. 995.
& seqq.

NB.

Epist. 57.

Disp. II.
de Fide In-
fant. 6. 38.
& 39.

§. 27. & 28.

non sit vera Fides, sed quia per ætatem ita efficax nondum esse possit; sufficere tamen, quod suo tempore ita efficax esse queat, id quod simili declaratur Exemplo. Nemo tempore autumnali & quam maximè hiemali negare potest, (vel debet) in Seminibus & arborum surculis hanc esse virtutem & naturam, ut fructus suo producant tempore, quamvis non statim & in præsentia ferant. Pari modo negare, nemo debet (vel potest) in baptizatis Infantibus esse actualem & veram Fidem, licet ad tempus, propter ætatem nondum aptam & congruentem, sese non exerat per operum bonorum studium & fructus ferat nostris oculis conspicuos, sed suo demum tempore *in eorum* sese declaret, & ejusmodi fructus Deo placetis progneret. *Respectu autem posteriori* Infantes omninò actua-lem habere Fidem, eamq; non otiosam, sed subindè semet exerentem (& simul exerentem) per varios motus spirituales, qui nihil aliud sunt, quàm Fidei fructus & effectus in-terni, nobis hominibus inconspicui, (non tamen Deo) ut quando dicuntur laudare Do-minum, vincere Mundum, induere Christum, Regnum Cœlorum accipere, regenera-tionem & æternam Salutem adipisci, quos & similes actus esse indubios Fidei fructus & opera bona interna, nemo negabit, nisi qui rationis & Judicii patiatur deliquium. Et qui hæc debito observaverit modo, Augustinum, ut ut primùm videatur, ab Evangelicorum Sententiâ non discedere, sed convenire cum ea agnoscat, ex quo ad ejus illustrationem ea nunc repetere juvat, quæ rem totam possunt conficere. Ita autem Doctor Augustini-

Epist. 23.

Sicut secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi est corpus Christi, Sacra-mentum sanguinis Christi est Sanguis Christi; ita Sacramentum Fidei est fides. Nihil est autem aliud credere, quam habere Fidem. Ac per hoc, cum respondetur parvulus credere, qui Fidei non- dum habet adfectum, (forte, effectum) respondetur Fidem habere propter Fidei Sacramentum, & convertere se ad Deum propter Conversionis Sacramentum, quia & responsio ipsa ad celebra- tionem pertinet Sacramenti; Et post aliqua: Itaq; parvulum est nondum Fides illa, que incre- dentium voluntate consistit, jam tamen ipsius Fidei Sacramentum facit fidelem. Nam sicut cre- dere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsâ mente advenendo, sed ipsius rei Sara- mentum percipiendo. Cum autem homo sapere cœperit, non illud Sacramentum repetit, sed intel- ligit, ejuſq; veritati consonâ etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non potest, valebit Sa- cramentum ad ejus tutelam adversus potestates contrarias, & tamen valebit, ut si ante ratio- nis usum ex hac migraverit vita, per ipsum Sacramentum, commendante charitate Ecclesiæ, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in Mundum, Christiano liberetur adju- torio. Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, infidelis est profecto, est si habeat Fidei Sa- cramentum; longe, melior est ille parvulus, qui, etiamsi Fidem nondum habeat in cogitatione, (aliàs, cognitione,) non tamen ei obicem contraria cogitationis opponit, Sacramentum ejus sa- lubriter percipit. Alia huic similia ex citatis antea locis adducere superfedeo, cum satis jam constet, & cui mens læva non est, animusque non omninò obtusus, constare possit, quæ sit Augustini & Evangelicorum de Fide Infantum baptizatorum Sententiâ, eo pro- lixius hic exponenda, quia & Syncretici hodiè Doctores, in orthodoxæ Simplicitatis e- versione omnem collocantes industriam, quoad hanc Controversiam ad Augustini au- thoritatem contra Confessionis Augustinæ adsecras audent provocare, hacque ratione minus in Scriptis Patrum versatis glaucoma objicere, ac suis opinionibus noviter in- crustatis aliquem induere & inducere colorem, utinam rubicundum, qui spem possit fa- cere emendationis!

Vid. D. Hülsem, I. cit. Cõf. D. Ægid. Strauch. Conf. re- pet. pag. 426, seqq.

CAPUT DECIMUM TERTIUM ET OCTAVUM,

De Effectu & Virtute Baptismi.

DE hoc effectu dum papistæ ductu Synodi Tridentinæ & facti in eadem Decreti do- cent, per Baptismum tolli ac deleri verè omnem culpam & pœnam, è contrario autem in Apologiâ secundi in Augustinâ Confessione Articuli, & ex Augustino quidem statu- tur, Peccatum in Baptismo remitti, non ut non sit, sed ut non imputetur; ac Bellarminus per in- signe mendaciû hoc dici & Augustino adscribi conqueritur, testatus, *Roffensem* ob id Lu- therum quoq; ante editam Confessionem Augustinæ mendacii convicisse, quin & *Cochleum* in discussione Ejus narrare, *Philippum Melancthonem*, qui stylû Augustinæ Con- fessionis ac Ejuſdè Apologiæ commodavit, convictu esse & confessum, locû Augustini male citatum esse, & tamen idè mendacium toties detectum & confutatum libro etiâ Concor- diæ insertum esse & in Ejuſa pologiâ repetitû, imò *Chemnitium* in Examine Anti Triden- tino idè defendere, quamvis cautè magis; ubi insuper observandû monet Bellarm. *Evange- licorû in hac Sententiâ fundamentum non aliud esse, nisi quia putant, Concupiscentiam, quam in baptizatis etiam usq; ad mortem manere certum sit, esse peccatum verè & propriè, licet ei non consentiamus, sed repugnemus*, addens, Quæstionem hanc, de quâ in Controversiâ de Origi-

Originis peccato agatur, ita conjunctam esse cum illa, ut explicata una, etiam terminetur altera, idè hâc ad suum reservatâ locum, de illâ eatenus tantùm agetur, quatenus Augustini auctoritas, Doctorum quoq; Lutheri & Melancthonis, quin & librorum in Ecclesiâ nostrâ Symbolicorum quoad laudatum cum Augustino consensum sinceritas necessariò est vindicanda. Et quidem in genere prænotandum venit, quod, etsi fateamur, hæc Verba, prout jacent, in Augustino non legi, quod ipse Philippus in Colloquio Wormariensi concessit, nondum tamen mendacii convincerentur, quia Augustinum ita docuisse adfirmant. Nam, id quod Doctor noster Franzius in hujus testimonii ex Augustino Vindiciis per instantiam ad Bellarmini superindè ad curationem notanter respondit, quemadmodum Salvatore nostrum nemo arguet ex Pontificiis, quod apud Matthæum & Lucam ex Veteri Scripturâ hanc citavit Sententiam, *Domus mea est domus orationis* &c. cuius summa non in uno Veteris Scripturâ loco, nec iisdem verbis extat, sed prior pars apud Esaiam, posterior apud Jeremiam traditur, imò quæ sententiola Salvatoris nec apud laudatos Evangelistas æqualiter legitur; ita quoq; nullo culpari potest modo Augustiniani hujus testimonii contracta Epitome. *Addit ibidem laudatus Doctor noster: Quoties adcurandus esset Pontificii Juris compilerator Gratianus, qui similem in excerptis Partum plurimis auctoritatibus & testimoniis usurpavit consuetudinè, nimirum, non ipsa prorsus Auctorum verba (semper) adferens, sed arbitrato suo mutans, addens, iminuens, summatim complectens, id quod Burchardus etiam & Ivo faciunt, authore præfationis Gregorianæ Editioni præmissæ ultrò agnoscente.* Et quia Juris Canonici facta est mentio, idè placet exindè Augustinum hujus Sententiæ, quæ in apologiâ Confessionis Augustinæ eidem adscribitur, authorem audire, ex quo sequentia leguntur verba: *Per Baptismum Christi id agitur, ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem, nõ ut in carne ipsa vivente Concupiscentia in ipsa & innata repente absumatur & non sit, sed ne obsit morti, quæ inerat nato. Nam si post Baptismum vixerit, atq; ad ætatem Præcepti capacem pervenire potuerit ibi habet, cum qua pugnet, eamq; adjuvante Domino superet, si non in vacuum Ejus gratiam susceperit, si reprobatus esse noluerit. Nam nec grandibus hoc præstat in Baptismo, nisi forte ineffabili miraculo omnipotentissimi Creatoris, ut lex peccati, quæ inest membris, repugnans Legi mentis, penitus extinguatur & non sit, sed ut, quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum fuerit, cum eidem concupiscentiæ subjèctâ mente servaret, totum aboleatur, & velut factum non fuerit, habeatur. Eadem alibi non semel inculcavit Doctor Augustus, verbis nominatim sequentibus: Si quaritur, quomodo carnis Concupiscentia maneat in regenerato, in quo uni ver-*

Tom. II.
Dispp.
Witreb.
pag. 789.
& seqq.

c) Per Ba-
ptismum
distinct.
IV.

Lib. I. de
Nupt. &
Concupisc.
cap. 25.

Plal. 103.

Syr. 21.
tibi

tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt: nisi quia præterierunt actu, manent reatu? Sic itaque fieri de contrario potest, ut etiam illud maneat actu, prætereat reatu. Ita de loco contrariorum argumentatur Augustinus, ut suo tempore contra Pelagianos obtineret in baptizatis super adhuc esse radium peccati, per fructus malos semet exerentis, ut intercedente Pœnitentiâ & vi fœderis in Baptifino initi ex gratiâ Dei remissionem impetrantibus. Et si opus illud evolvamus, ex quo Gratianus huic orthodoxæ Veritati præbuit testimonium, plura observabimus huc pertinentia. Ut quod Sanctus Pater expressè scripsit inter alia: *Non ex qua hora quis baptizatur, omnis reatus infirmitas ejus absumitur.* Et post multa in hanc rem monita: *Illud præcipue propter Quæstiones, quæ hac de re sunt motæ, vel moveri adhuc possunt, attendere ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam remissionem perfectamq. Baptifino fieri, hominis verò ipsius qualitatem non totam continuè mutari, sed spirituales primitias in bene profectibus de die in diem, crescente novitate, commutare in se, quod carnaliter vetus est, donec totū ita renovetur, ut animalis etiam corporis infirmitas ad firmitatem spiritalem incorruptionemq. perveniat.* Et iterum: *Hæc autem Lex peccati, quod etiam Apostolus peccatum adpelat, non sic manet in membris eorum, qui ex Aquâ & Spiritu sunt renati, tanquam non sit facta ejus remissio, ubi omnino plena sit & perfecta peccatorum remissio, interfectis omnibus inimicitis, quibus à Deo separamur: sed manet in vetustate carnis tanquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus reviviscat quodammodo, & in regnum proprium dominationemque revocetur.* Alibi etiam contra Pelagianos eosdem graviter pro hæc monuit Sententiâ: *In Baptifino cuncta quidem remittuntur peccata, sed remanent carnalium concupiscentiarum mala.* Et post aliqua: *Cur caro conteritur à fidelibus, si nihil remansit in Baptifino, quod adversus Spiritum concupiscat? Cur conteritur à seipso Templum Dei, si nihil ibi est, quod resistat Spiritui Dei? Non autem in nescit tantum, verum & graviter obesset, nisi reatus, qui nos obstruxerat, per remissionem peccatorum solutus esset. Solvitur ergo per indulgentiam, quia tenebat innoxia; conteritur per continentiam, ne vincat in pugna. Agitur itaq. ne obstit, donec ita sanetur, ut nō sit.* Et iterum post quædâ: *Dimissis itaq. in Baptifino peccatis omnibus id est omnibus Concupiscentiæ fetibus, si illic ipsa etiâ est consumpta, quomodo contra eâ, ne concipiat, dimicant Sancti? Quomodo contra eam belligatur à Sanctis, si & ipsa Baptifino est ablata? Manet igitur.*

1. Epist. 6. Adhuc post aliqua: *Quod Paulus ad Corinthios scribit, Abluti estis, sanctificati estis, mundatos dixit eos in melius, non ut eâ carerent, quod in hæc Vita fieri non potest, sed ut ei non obedirent, quod in bona vita fieri potest; atq. ut ab eo, quo erant vinculo ejus obnoxii, se liberatos esse cognoscerent, quod nisi regeneratione fieri non potest.* Alia multò plura, quæ Augustinus ibi habet, huic Instituto apta, non adduco, eorum reservanda, ubi ex Augustino, Concupiscentiam esse peccatum verè & propriè ita dictum, demonstrabitur. Nunc addidisse sufficiat, quam Sententiâ Doctor augustus contra Pelagianos in non uno Scriptorum acriter defendit, Eum in Concionibus quoq. ad populum proposuisse, cujus unum exhibuisse Exemplum latis erit: *Quidquid peccatum est à nobis, antea deletum est in Baptifino. Numquid, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi Misericordia liberatoris indignus, nisi qui seipsum vult decipere, & in quo Veritas non est? Et huc referri debent omnia etiam testimonia, quibus sanctum Patrem omnes in universum homines, baptizatos etiam & aliorum respectu Sanctissimos, peccatorum numero inclusisse, suo intra loco docebitur. Atq. sic manifestum evadit, insignem Apologiæ Confessionis Augustinæ, libro in Ecclesiis nostris Symbolico, Eiusque Scriptori Philip. Melanchthoni, Formulæ Concordiæ, cui Apologia hæc est inserta, ut & ipsi Luthero ab Adversariis inferti in iuriam, dum iniquissimè adfuerint, quasi per insigne mendacium peregrinam Augustino & à mente suâ alienam adfinxerint Sententiâ, quæ tamen toties ab Eo in divertis Tractatibus docetur & contra Pelagianos defenditur; ut merito Bellarminus, & quicumque ante & post Eum hæc insigni calumniâ Evangelicos onerârunt, pudore suffundi debuerint, eam Augustino adscribentes Sententiâ, quæ tot iteratis vicibus in Scriptis Eius clarè satis expressa legitur. Quamvis autem Bellarminus Synodi Tridentinæ Decretum, per Baptifinum tolli reipâ omne id, quod in homine peccati rationem habet, defendens, inter alia probationis argumenta ad multiplices etiam Baptifini figuras provocavit, & in specie ad curationem hominis à Matris utero & nativitate coeci, subjungens, Augustinum explicare eam, quod videri posset, quasi S. Pater hujus miraculose curationis historiam ita ad Baptifini Sacramentum applicaverit, ut simul omni contagione peccati hominem per Baptifinum liberari docuerit; monendus est tamen Lector Veritatis studiosus, ut sciat, Augustinum præter generalem hujus historiæ applicationem ad*

Lib. II.
de peccat.
merit. c.
7. & 27.

& 28.

Lib. VI.
contra Ju-
lian. c. 5.

1. Epist. 6.

Tract. 41.
in Joh.

Tract. 44.
in Joh.

Bapti

Baptismum, de speciali hoc effectu Baptismi ac omnimodâ peccati ablatione per Baptismum omninô nihil ibidem habere, imô nec habere quidē potuisse, nisi aliis à se dictis & scriptis contradicere & scribere voluisset, adeôque Bellarmino & hic fraude non piâ Lectoris simplicitatem circumvenisse.

Et hæc hæc hactenus de effectu Baptismi, quem Doctores Papæi justô majorem ei adscribunt, peccantes in excessu, omnimodam in eo peccati sublationem fieri docendo. Nunc paucis etiam restat, ut ostendatur, eosdem eidem Sacramento ex alterâ parte, peccantes in defectu, adscribere effectum justo minorem, vim ejus ad præterita & antecedentia Baptismum peccata tantum, non etiam ad futura & Baptismum consequentia referendo. Non autem prolixè occupabor circa vindicias Sententiæ Evangelicorum, quam Bellarminus nec ritè proposuit, nec etiam sincerè exposuit, multa eis temerè & per calumniam adstringens, quæ eorum nulli unquam venerunt in mentem, multô minus in penam, sicut & nihil eorum, quæ adduxit, expressis Authorum verbis ostendere potuit. Augustinus tantum ex Instituto vindicandus est, cujus autoritate Chemnitius in demonstrandâ vi & virtute Baptismi ad futura etiam peccata usus, eum Pauli oraculum de *lavacro Aquæ Ecclesiam mundantis* explicantem, & sequentia pro Veritate Evangelicâ scribentem Lectori stitit: *Quod Paulus ait, mundans eam lavacro Aquæ, sic accipiendum est, ut eodem lavacro Regenerationis & verbo Sanctificationis omnia prorsus mala hominum regenerantium mundentur atq; sanentur, non præterita solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humanâ infirmitate vel ignorantia contrahuntur; non ut Baptismus toties repetatur, quoties peccatur, sed quia ipso, quod semel datum est, fit, ut non solum antea, verum postea etiam quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Bellarminus duplici modo respondet, priori Augustino in faciem contradicens, posteriori autem satis commodè Eius mentem explicans. *Quod objicitur ex Paulo, facile explicatur, inquit. Nam illud (mundans) non refertur ad singulos homines, sed ad varios, qui unam constituunt Ecclesiam. Christus enim quotidie mundat Ecclesiam lavacro Aquæ, quia quotidie baptizantur aliqui, omnes tamen cum baptizantur, à præteritis mundantur peccatis, non à futuris. Quod si quis referat ad singulos homines, tum dicendum est, Baptismo purgari peccata futura, non immediate, sed mediatè, quia videlicet, qui baptizatus est, per Gratiâ, quam in Baptismo accepit, impetrat veniam peccatorum venialium, quæ postea facit, si eam petat. Et præterea per Baptismi characterem jus habet ad Sacramentum Pœnitentiæ, quo peccata etiam mortalia purgantur; quod Sacramentum percipere non possunt, qui Baptismo carent. Et hoc est, quod Augustinus dicit, nimirum Baptismo futurâ aliquo purgari modo peccata, quia sine eo nihil profunt cetera, quæ ad purganda sunt peccata, ut Pœnitentiâ &c. Ita enim Augustinus: Quid prodesset vel ante Baptismum Pœnitentiâ, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet? Unde idem Augustinus, cum de immediato & proprio Baptismi effectu loquitur, disertè contrarium scribit: semel acceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit; tunc enim propria etiam incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed aliâ curatione sanentur. Hæc ex Augustino Bellarminus quorum prior pars, ut dixi, in faciem Augustino contradicit, posterior autem satis commodè mentem Eius & Evangelicorum explicat, si, quæ de peccatorum venialium & mortalium discrimine, characterem item Baptismi, ex hypothesi apud Papæos Scriptores receptâ habet, ad orthodoxæ Fidei analogiam reducantur. In subnexâ adpendice ex Augustino errat Bellarminus, si eam Sententiæ Evangelicorum & Augustini à semet ipso explicatâ putat esse contrariam. Quo enim sensu in antecedente dixit testimonio, remitti in Baptismo etiam peccata, quæ humanâ infirmitate vel ignorantia post Baptismum contrahuntur, non ut Baptismus toties repetatur, quoties peccatur; eodem quoque dixit in subsequente, quæ homo propria (præter originale peccatum) post Baptismum incipit habere peccata, non regeneratione (novâ nimirum & reiteratâ) auferri, sed aliâ curatione sanari, quæ tamè suam ad Baptismum habeat respectum, suamq; vim exinde accipiat. Id quod satis clarè Augustinus verbis primum Eius testimonium, quo Chemnitius Evangelicorum Sententiâ firmavit, proximè antecedentibus expressit, docens, eadem regeneratione, quæ nunc per Sacrum sit Lavacrû, cuncta usq; in finem hominis mala purgari atq; sanari, quin & in eodè opere paulò ante similiter in hanc rē scripsit: *In eis, qui regenerantur in Christo, cum remissionè accipiunt omnium prorsus peccatorum, utiq;, necessû est, ut reatus etiâ licet manentis adhuc Concupiscentiæ remittatur, ut in peccatû non imputetur.* Adde testimonium S. Patris, eadè, quæ tanquâ publicus Ecclesiæ Doctor scribendo contra falsos Doctores defendit, suis etiâ auditoribus pro suggestu comendantis: *In Christû credentes per lavacrû regenerationis soluto reatu omnium peccatorum, & originalis videlicet, quod generatio trahit, contra quam regenera-**

Lib. I. de
Nupt. &
Concup.
cap. 33.

Eph. V.

Epist. 21.

cap. 26.

Tract. 124

in Joh.

regenera-

Epist. 90.
ad Bonif.
paulo an-
te finem,

regeneratio maximè est instituta, & ceterorum, quæ malè agendo sunt contracta, liberantur à damnatione perpetuâ. Et ne quid ad Institutum præsens ex Augustino hic prætermittatur, sequentia in primis verba Ejus debent notari, quibus suam & Evangelicorum Sententiam optimè explicavit: *Nihil in Baptismo remanet, quod non dimittatur, præteritum omnium peccatorum; & quidquid ab eis, qui post acceptum hic (in hoc nimirum Seculo) vivunt Baptismum, quarumcunque culparum humanâ infirmitate contrahitur, PROPTER ipsum dimittitur Lavacrum. Neque enim aliquid prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra &c.* Tandem huc etiam pertinet, quod de Baptismo tanquam penitentia fundamentum proximè circa finem inchoata Expositionis ad Romanos Epistola scripsit Augustus Doctor: *Eos, qui jam fuerint baptizati, curari melius per Penitentiam dicimus, non renovari, quia renovatio in Baptismo est; ubi quidem operatur Penitentia, sed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari edificum potest; si autem quis fundamentum iterare voluerit, totum subvertat necesse est edificum.* Imò hinc quoque testitui debet & confirmari lectio illius ex Augustino testimonii, quod proximè & ultimo quidem loco ad priorem hujus Controversiæ de Effectu Baptismi partem habuimus: *Quidquid peccatum est à nobis, antè deletum est in Baptismo.* Legitur illud in Editione Parisiensi ante hoc Seculum procuratâ, quâ hæcenus in citatione locorum utor, & fortè in aliis etiam Editionibus, hæc cum distinctione: *Quidquid peccatum est à nobis antè, deletum est in Baptismo.* Quæ distinctio si admittatur, Augustinus à Bellarmini partibus stare videtur, ac cum Eo cæterisque Doctoribus Papæis statuere, vim & virtutem Baptismi solùm ad præterita & Baptismum antecedentia pertinere peccata, non item ad futura & Baptismum subsequentia. Sed & integer contextus, & constans Augustini doctrina tot Testimoniis expressa, priorem & jam supra laudatam lectionem & verborum distinctionem requirunt, atque Augustinum hic quoque faciunt Veritatis Evangelicæ testem & Confessorem.

CAPVT DECIMVM NONVM & seqq.

DE

Baptismo Johannis.

In hæc Quæstione non opus esset, ut magnâ contentione animi dissidentium magis imago scinderentur, cum sublato Johannis Baptismo, nemini hodiè controversia moveatur, ritè per Eum baptizatus sit, nec ne; nisi Patres Tridentini in eâ quoque suam orbi Catholico tyrannidem obtrudere, idque cum fulmine Anathematis definire, ac verè fidelibus ad credendum & sine omni contradictione amplectendum proponere fuissent ausi, de quo per sesqui millenariû retrò in Ecclesiâ liberè licitû fuit sentire. Augustinus certè, etsi magis in illam inclinare videtur Sententiam, quæ majorem Baptismo Christi quam Johannis adtribuit efficaciam, nihilo tamen minus neminem ad consensum obligavit, multò minus quemquam ob dissentium anathemati subjecit, id quod ipse Bellarminus contra rigorem Tridentinum notanter in rem nostram observavit, scribens: *Nota, non esse quæstionem, an Baptismus Johannis potuerit remittere peccata ex devotione & fide accedentium, vel etiam ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus & Baptismo Johannis; id enim facile fieri potuit, & sic acceperunt illa Marci verba, Prædicans Baptismum Penitentia in remissionem peccatorum &c. quidam Patrum, ut Basilius, & Frater Basili Gregorius Nyssenus, & Author Quæstionum N. T. inter Augustini opera. Ipsam Augustinus, licet illa verba aliter existimet accipienda, tamen non existimat contentiosè resistendum eis, qui docent, Baptismum Johannis aliquo modo remisisse peccata, modo faciant, magnum esse discrimen inter Baptismum Christi & Johannis. Nimirum, ita post & præter Evangelicos Doctores optimè scribit Vossius, vidit Sanctissimus Antistes, etsi hic erret aliquis, non periclitari Salutem, non convelli Fidem, non ladi Pietatem; est enim controversia solùm de ceremonia temporis ante multa Secula præteriti, & que non diu duravit, de qua seu hanc, seu illam sequaris Sententiam, salva permanet doctrina de Penitentia, Fide & Pietate. Quamvis enim testimoniorum de Baptismo Johannis accuratior consideratio eandem cum Baptismo Christi & Apostolorum adscribere eidem jubeat efficaciam, quoad videlicet peccatorum remissionem; nemo tamen Evangelicorum refragabitur, si aliquod quoad efficaciam gradus inter utrumque statuatur discrimen, idque fiat sine præjudicio alterius Sententiæ, quæ absque omni contradictione cum hoc stare potest temperamento. Et si Augustinus ad eò rigidam superindè Definitionem suo tempore coactus fuisset legere vel audire, qualem Evangelici hodiè in Tridentinæ Synodi Decretis legere,*

Conf. Ve.
Ios. Ad-
fert, in
August.
pag. 457.

Lib. V. de
Bapt. c. 10

de Bapt.
Disp. 8.
num. 23.
pag. 118.
& 119.

gere, seque ob aliquem in re antehac nunquam decisâ, sed indifferenter relicta dissen-
sum duro & diro anathematis fulmine à Jove Capitolino percuti audire, sed tamen per
Dei gratiam non sentire, coguntur, scio, insigniter tantam fuisset audaciam miratus, imò
etiam graviter detestatus, sicut non potuit non ægrius ferre præcipitâ antehac Ste-
phani, Pontificis Romani, contra *Cyprianum* Eiusque collegas in causâ Anabaptismi
censuram, supra notatam, ubi de *Ministri Sacramentorum qualitate* fuit actum. Utinam
ergò, & ò utinam ab hoc immani rigore abstinuissent Tridentini à Spiritu Romano ma-
lè animati Definitores, & fortè Schisma hoc tristissimum Christi tunicam non ita lace-
rasset, ut omnis jam reduntionis spes in totum decollare videatur. Utinam, ita porrò
vota facio, sed pro dolor, frustranea, in vestigiis Augustini quoad hujus in specie Quæ-
stionis decisionem mansissent, & nihil, de quo inter adversarias partes litigaretur, esset
super. Ille enim, utur, quod jam monui, magnum inter Baptismum Christi & Johannis
discrimen statuens, quod nec Evangelicos omninò negare, itidem dixi, in non uno loco-
rum, ad quæ Bellarminus provocat, suam ita proponit Sententiam, ut alteram non in to-
tum rejiciat. Nominatim, ubi Donatistas graviter est hortatus, *ne de Baptismo Johannis* L. II, con-
tra lit. Pe-
til. cap. 37.
faciant caliginem, singulari humilitatis studio ita de eo pronuntiavit: *cujus causa & ratio
sive ista sit, quam exposui, sive alia melior certiorque reddatur*. Eo etiam loco, ad quem Bel-
larminus supra adlucit, ita hæc de re egit Augustus Doctor, ut non ad eò multa liceat de-
siderare: *Quamquam ita credam baptizasse Johannem in Aquâ penitentia in remissionem
peccatorum, ut ab eo baptizatis in Spe remitterentur peccata, re ipsâ verò in Domini Baptismo
id fieret, sicut resurrectio, qua expectatur in finem Spe in nobis est facta; tamen, ne (fortè, si)
quisquam contendat, etiam in Baptismo Johannis dimissa esse peccata, sed ampliorem aliquam
Sanctificationem eis, quos Paulus Apostolus denuò baptizari jussit, per Baptismum Christi esse
collatam, non ago pugnaciter*. Utinam, ita adhuc semel, quamvis in irritum, vota facio,
utinam in his, quos Augustinus modestissimè fixit, terminis, mansissent Patres ad Syno-
dum Tridentinam conscripti, & de quo quererentur Evangelici, non haberent, ad Au-
gustinum moderationem meritò respicientes; quamvis si observatio *Esthii* ad Canonem
de hæc Quæstione Tridentinum valet, nonis præcisè vel directè Evangelicis videatur
oppositus. Ita autem in suis ad Apostolorum Acta Notationibus scribit: *Concilium Tri-* ad c. 19.
vctf. 4.
*dentinum anathema dicit eis, qui negant, quidquam esse discriminis inter Baptismum Johannis
& Christi; nec tamen illud discrimen explicat. Vnde illo Concilii canone non damnatur quo-
rundam Veterum Sententia, ut Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, Cyrilli Hierosolymitani, qui
Baptismo Johannis remissionem tribuunt peccatorum, Baptismo Christi adoptionem filiorum.*
Si, inquam, hæc valeat explicatio, nihil ille Canon contra Evangelicos, qui non omne di-
scrimen inter Christi & Johannis Baptismum tollunt, sed ultrò aliquod, quoad gradus
Gratiæ, præsertim gratis datæ, quatenus Gratiæ gratum facienti opponitur vel contradi-
stinguitur, concedunt, militat; & si laudatorum Ecclesiæ Patrum Sententia, quæ Johan-
nis etiam Baptismo peccatorum remissionem adscripserunt, hoc Canone non fuit da-
mnata, Evangelicos etiam hoc Fulmen non tangit, qui hac in re cum laudatis Patribus
consentiunt, & contra quos Augustinus etiam *pugnaciter* non agendum statuit. Paucis,
dum Theologiæ Moralis Doctores multò majoris momenti Quæstiones & propius
Fidei fundamentum attingentes hodie intra Probabilitatis sive majoris sive minoris ter-
minos collocent, atque pro & contra, ultrò citroque disputent, consultius fuisset, si &
huic Problemati aliquem inter eas locum concessissent.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM, & seqq.

DE

Ceremoniis Baptismi.

A Diaphora quidem hæc sunt & variantes, neque vel loci vel temporis respectu
universales, id quod vel solum discrimen hodiè communiter receptum inter
Ecclesias Orientales Græcorum & occidentales Latinorum confirmat, quas in
ceremoniis plurimùm à se invicem differre, nemo rerum peritus ignorat; & tam-
en, quæ Romanorum hodiè Doctorem, & imprimis Bellarmini est insolentia, Evan-
gelicis persuadere satagunt, eas, quarum in administratione Baptismi in sua Ec-
clesiâ est usus, solum esse antiquissimas, & vel ex Apostolorum traditione manantes, vel
à Sanctis Patribus institutas. Quamvis autem fateamur ultrò, non omnes eas hodiè adhi-

SS

beri,

berî, quas olim adhibitas fuisse in veterum Scriptis prolixè recensetur, collectas Seculo antecedente à *Rhenano* in ad *Tertulliani* de *Coronâ Militis* librum *Adnotationibus*, hoc autem à *Iosepho Vice-Comite*, *Ambrosiani Mediolanensis Collegii Doctore*, peculiari *observationum Ecclesiasticarum* Commentario; & ne Præceptoris olim de me Meritissimi immemor sim, à *D. Danhavero* in primo Sacræ *Christeidos Actû*, nuper etiam ab *Annalium Ecclesiasticorum Francorum* Conditore, ut plures alios Antiquitatis Ecclesiasticæ peritos silentio nunc præteream; fateri tamen coguntur idem Romanenses etiam, multa ab illo tempore in his quoque Ceremoniis mutata esse & omninò abolita. Quà igitur illi fruuntur libertate, ut pro ratione temporis, loci, personarum id intermitant, quod olim per aliquot Secula in continuo fuisse usu agnoscere coguntur; eandem Evangelicis quoque concedant, humanæ tyrannidis jugum sibi ulterius imponi non sustinentibus, eaque Augustini autoritate fretis, quam *Launojus* loco proximè citando suppeditat, & cujus usum supra jam habuimus: Ita enim Pater augustissimus: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi, vel instituta majorum pro lege sunt tenenda; de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum nulla Veritas (alias, Veritatis) documenta insinuet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis serenitatem Charitatis obnubilet.* Et alibi: *Totum hoc, genus rerum liberas habet observationes, nec ulla est in his melior Disciplina gravi prudentique Christiano, quam ut eo agat modo, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè de venerit. Quod enim neque contra Fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, Societate servandum est.* Quæ Sancti Doctoris monita Evangelicis idèò grata sunt, quia non omnes in administratione Baptismi ceremonias olim usitatas aboleverunt, id quod ipse Bellarminus debuit agnoscere, sed eas ex libertate Christianâ pro ratione loci, temporis & personarum reservârunt, quas sine omni Superstitione ad eorum ædificationem & excitandam devotionem conducere existimârunt, qui Sacræ actioni huic sive tanquam Susceptores, sive tanquam testes rogati, sive aliâs Divino in Ecclesiâ cultui vacantes interesse solent. Ut adèò ferias hic agere liceret, neque opus esset, aliquem in hoc negotio impendere laborem, aut Lectorem ab eis, quæ sequuntur magis necessaria & plus controversa, prolixius detinere. Sed ne præteritio hæc videatur esse indicium omnimodæ paupertatis, quasi nihil planè esset, quod ex Augustini promptuario contra Bellarminum in hac etiam Quæstione posset inservire, lubet breviter ad tria tantum loco Speciminis mentem revocare, & quia Bellarminus in tres divisit classes Baptismi ceremonias, illas nimirum, quæ Baptisimum vel antecedunt, vel comitantur, vel sequuntur, ex quâvis classe unam modò eligere & ostendere, Bellarminum in earum ex Augustino commendatione non sincerè egisse, & quidem iudicio eorum, qui testes de Domo audiunt, adèòque minus suspecti esse possunt aut debent. Ex primâ autem classe octavam numero & ordine Ceremoniam laudat Bellarminus *gustum Salis*; datur enim, inquit, vel potius dabatur olim Catechumenis *Sal gustandum*, ut adparet ex *Origene & Concilio Carthaginiensi tertio*. Et fortè ad hunc *Salem* adlusit Augustinus, cum de se adhuc puero ait vel scribit: *Signabar jam signo Crucis, & condiebar Ejus sale. Dabatur etiam Panis benedictus loco Eucharistia, ut Augustinus testatur; quanquam & ipsum Salem loco Eucharistia eis datur, inquit, vel potius dabatur olim Catechumenis Sal gustandum, ut adparet ex Origene & Concilio Carthaginiensi tertio. Et fortè ad hunc Salem adlusit Augustinus, cum de se adhuc puero ait vel scribit: Signabar jam signo Crucis, & condiebar Ejus sale. Dabatur etiam Panis benedictus loco Eucharistia, ut Augustinus testatur; quanquam & ipsum Salem loco Eucharistia eis datur, inquit, vel potius dabatur olim Catechumenis Sal gustandum, ut adparet ex Origene & Concilio Carthaginiensi tertio. Ibi tamen non meminerunt de hac ceremoniâ Salis pro Catechumenis, sed alio sensu de Sale Divina Gratia loquuntur, ut quisque facile videre poterit. Concilium tamen Carthaginiense tertium, canone quinto, hujus Salis, quod Catechumenis gustandum tradebatur, aperitè meminit, cum ait: Item placuit, ut etiam per solenniſsimos dies Paschales Sacramentum Catechumenis non detur, nisi Sal solitum; quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari. Addit Bellarmini Socius: Hujus Canonis verbanon parum obscura sunt. Nonnulli putant, per Sacramentum eo loco intelligi Eucharistiam, cujus loco, inquit, Catechumenis Sal dabatur, juxta quorum Sententiam sensus illius erit Canonis, ne Catechumenis per dies etiam solennes Paschatis Eucharistia, sed tantum Sal solitum daretur. Sed verò, cum nusquam legamus, Catechumenis dari consuevisse Eucharistiam frustra Canon ille in eo sensu latus esset, ad prohibendum id, quod nunquam fieri consueverat. Ego igitur, qui Sacramentum intelligo Panem benedictum, qui sane Catechumenis loco Eucharistia tempore Augustini dabatur, & Sacramentum dicebatur, ut ex sequentibus Augustini verbis constat: Quod accipiunt Catechumeni, quamvis non sit corpus Christi sanctum,*

pag. 195.
& seqq.
ad Annum
Christi
494 n. 7.
seqq.

Epist. 86.
ad Casul.

Epist. 118
ad Januar.

L. I. Confess. c. 11.
Disp. 166.
in 3. part.
Th. c. 4.
P. 561.
Conf. Cel.
lot. de
Hierarch.
L. 6. c. 25.
P. 546.

sanctum, est tamen sanctius, quam cibi, quibus alimur, quia Sacramentum est. *Quod sane* Lib. II. de
nihil aliud fuisse videtur, quam Panis benedictus, qui aliis communibus cibis praefertur, & ab peccat.
Augustino Sacramentum vocatur. Cum igitur hoc fuisse in more Augustini tempore, videtur merit.
in eo Concilio, cui idem Augustinus interfuit, sublatum; cumque in diebus etiam Paschatis cap. 26.
fuerit vetitum, videtur etiam pro omni alio tempore interdictum fuisse, ita ut pro Sacramento,
quod gustari deberet, nihil Catechumenis relinqueretur, nisi Sal etiam benedictum & exorci-
zatum, quod omnibus dari consuevit ante Baptismum. Reddit autem Concilium rationem,
quia, cum fideles jam baptizati non mutent Sacramenta illis diebus, sed idem, nempe Eucharis-
tiam recipiant, quo vesci semper consueverant, consentaneum rationi fuit visum Patribus
Africanis, ut Catechumeni etiam non mutarent cibum spiritualem, sed eodem, Sale nimirum,
illis etiam diebus vescerentur. Ita contra Socium & Ejus sequaces Vasquez. Ex secundâ
Ceremoniatum Baptismalium classe quintam numero & ordine Bellarminus laudat
tempus Paschale & Pentecostale, hæc cum observatione: Et si quovis tempore dari possit Ba-
p-tismus, si necessitas urgeat, veteres tamen diligentissimè servabant hanc Ceremoniam, ut so-
lum in Sabbatis Pasche (cur non Paschatos?) & Pentecostes ordinariè baptizarent. Ad-
dit, esse hanc universalem & antiquam consuetudinem, patet etiam ex illis Augustini verbis:
Venit Pascha, dedit nomen inter alios Competentes. Hæc de Ceremonia & temporis circum-
stantiâ ut ex Augustino aliquid moneatur, laudatus paulò ante Launojus, Sorbonista Pa-
riensis facit, qui suo de Veteri Ciborum delectu & jejuniis Christianorum Tractatu pecu-
liarem subjunxit de solemnioribus olim Baptismi temporibus adpendicem, quæ Bellarmi-
nus de Festis Paschatos & Pentecostes habet, non quidem rejiciens, at alia etiam tem-
porâ subjiciens solenniora, quibus Sacramenti hujus administratio fuit suscepta. Festum
in primis Epiphaniæ, quod ob tria maximè legitimum esse Baptismi tempus ostendit,
primò, ob ipsius Christi Baptismum hoc die celebratum in Jordane, quod Exemplum
esse dicit omni majus exemplo. Deindè ob antiquum juxta & celebrem apud Græcos
usum & consuetudinem, à duobus nominatissimis Patribus, Gregorio Nazianzeno, & Io-
hanne Chrysostomo vindicatam. Neque vanam esse conjecturam, si quis hunc in Epipha-
niâ tingendi morem, cujus nullum post apostolos notetur in Oriente principium, ab
aliquo apostolo, vel Apostolico saltem Viro mansisse credat. In iis enim, quæ Fidem
non attinent, inductas esse varias universim ab Apostolis & Apostolicis Viris consuetu-
dines, quis cum ratione firmâ negaret? Tertio demum ob illustre miraculum, quo hic
usus in Africâ post Siricii & Leonis, Pontificum Romanorum tempora sit confirmatus.
Addit, ad præcipuum hujus Disciplinae fundamentum, inter alia, quibus explicari possit
& fulciri sequentia etiam Augustini verba inservire, in primo de hoc Epiphaniæ Festo
Sermone ita auditores suos adloquens: Nobis ex Baptismo lavacrum est concessum, quod
in Iordanis alveo consecravit. Nos quoque in melius esse mutandos operis miraculo præmonstra-
vit, quando aquas in Vina convertit. Et idè in omni actu nostro Stellam Fidei præparemus, &
in custodia puritatis Baptismum Christi celebremus, quia hæc Christi regeneratio nostra Fidei est
confirmatio. Infirmavit enim nobis sui Muneris beneficium per secundæ Nativitatis exem-
plum, & quod facere (nos) voluit, ipse prior fecit. Legimus Iudæos diversa habuisse sub Lege
Baptismata, sed nullum ex his contra prævaricationis malum potuit generalem conferre medi-
cinam; & idè pro absolutione totius Mundi indigebant regenerationis aquâ cælestis sancti-
ficari. Et quia per universum Mundum Baptismi Sacramentum humano generi opus erat,
omnibus Aquis benedictionem dedit, quando in Iordanis alveum unicâ ac singulari Pietate de-
scendit; tunc enim non tam Christum Dominum lavit unda, quam lota est. Tibi ergò Chri-
stus nascendo advenit, tibi vivendo militavit, tibi moriendo conflavit. Quem vides pro te
mortuum, pro te etiam intellige baptizatum. Et interpositis quibusdam: Vitalem gratiam
non corpus ex flumine, sed flumen mutat ex corpore. Descendere in se fontem suum felix un-
da miratur, sub uno momento remedia concipiens aterna, & novâ DEUM regenerationis fe-
cunditate paruriens: quod acceperat, hoc reddens, & quod non habebat, accipiens. His simi-
lia postquam ex Hieronymo, Maximo, Ivone Carnotensi adduxit Launojus, Festum E-
piphanie ad Baptismi celebrationem commendans, addidit, ipsum quoque Natalem
Christi huic Sacræ actioni olim fuisse consecratû, id quod præter alia in primis Baptismo
Clodovei, primi Gallorum Regis ad Christum conversi, in hoc Festo baptizati confirmati
quin & ultatum in Festo S. Iohannis Baptiste Baptismum apud Gallos fuisse, ex Gregorio
Turonensi docet. Ut autem illustrationis loco illud etiam adcedat, quod de Bap-tis-
mo Clodovei in Vigiliâ Natalis Domini celebrato, contra Fredegarium & Hincmarum,
Gallorum Historicos, hanc actionem Paschatos Festo adscribentes, & eorum autori-

Anno
Christi,
496. n. 8.

Observ.
Eccles.
Lib. I. cap.
18. p. 47.

L. cit.
p. 235.

pag. III.
qu. 63.
art. 3.

tatem secutos, in specie, laudatum supra Theologum Mediolanensem, *Isophum Vice Comitem* habet Launojus, pluribus nuper ivit confirmatum, qui *Annales Francorum Ecclesiasticos* scribere cepit, *Carolus le Coïnte*, Trecentis, Congregationis oratorii Presbyter, laudatus *Ephemeridum Gallicanarum* authoribus Scriptor, prolixam *Aviti*, Viennensis Episcopi ad ipsum Regē Clodoveum de hoc ipso Epistolam adducens, ex qua hæc temporis circumstantia satis aperte demonstratur. Accedit, quod & hic non prætermittendum, testari eundem Annalium Scriptorem, eodem Anno, quo Clodoveus Rex est baptizatus à *Remigio*, Rhemensis Episcopo, baptizatum esse quinto Calendas Octobris, id est, proximè ante Festum *Michaelis*, Tribunal quendam, nomine *Censforinum*, ab *Elenberio*, Tornacensi Episcopo, pluribus adjunctis Tornacensibus, qui unà ab eodem Episcopo, pluribus adjunctis Tornacensibus, qui unà ab eodem Episcopo susceperant Baptismum. Ut adeò plura fuerint tempora Baptismi Sacramento olim destinata, quàm quæ Bellarminus, ex *Augustino* præsertim, voluit huic actioni Sacra esse solennia, qui etiam agnoscere noluit, quòd tamen plerique hoc argumentum tractantes ingenue fassi sunt, nominatim laudatus *Vice Comes*, Doctor Ambrosianus scribens, *Baptismi tempus in Ecclesiâ varium & multiplex fuisse; & quidem ejus quasi nascentis exordio Fidei Christianæ Proceres, nullâ temporis ratione habitâ, quoscumque Salutis veræ avidos non verant, creptis opinionum erroribus, solenni ritu piatos, ad Fidem Christi adjunxisse, & ita testibus Apostolorum Actis Eunuchum Candacis Æthiopum Reginae à Philippo, Paulum antehac Saulum ab Ananiâ, Cornelium cum familiâ à Petro, alios plures ab aliis fuisse baptizatos, quæ certo tempore ac constituto, cum ex improvise fuerint facta, corrigisse, vix est, ut credam, inquit Vice Comes, post adductum Ambrosii locum huc pertinentem addens, omnium gentium Magistros, Apostolos, in Sacris baptismalibus homini impertiendis nullum habuisse temporis delectum, id quod sequenti etiam ratione convinci posse putavit: *Apostolici namque consilii & prudentiæ non fuit, primis temporibus, quando bene subactus ager Domini uberrimos pollicebatur fructus, præsentem & certam messam longius differre; maxime, quia metuendum erat, ne passim à virgulis & veribus jactum Christianæ religionis Semen elideretur. Addo, tantam hominum multitudinem is temporibus ad Baptismum confluisse, ut duobus (tantum) diebus, sicut postea, omnium vota expleri nullatenus poterint; præsertim cum Ecclesiâ tunc Ministrorum laboraret inopiâ, nec certa cuique Munera essent distributa. Hæc ille, qui postea etiam, ubi plura de duobus statibus hæc temporibus Patrum & Ecclesiæ Scriptorum, interque ea *Augustini* etiam, collegit testimonia, porro confessus est, consuetudinem hanc, Festo solum Paschatos & Pentecostes Baptismi Sacramentum administrandi, permanisse quidem (at non omninò integram & inviolatam, quod adducta paulò ante Exempla ostendunt,) usque ad tempora *Caroli Magni*, *Ludovici Pii*, filiique *Ejus Lotharii*, testibus eorum legibus ab *Ausegiso* collectis, & Scripturibus *Coeris*, *Albino Flacco*, *Walfrido Strabone*, *Rabano Mauro*, & *Concilii Triburiensis* Patribus, sed post eos nullum Baptismi in Paschate aut Pentecoste administrati meminisse, id quod argumento sit veterem hanc ab eo tempore consuetudinem esse abrogatam, cæptaque passim & tempore quocumque Baptismi Sacramenta conferri. Causam mutationis fuisse dicit commune periculum vitæ, quod plerique sine Baptismo vitâ fuerint defuncti; & ut vaserrimo humani generis hosti, cujus infinita sitis, inquit, hominum stragibus insaturabiliter expletur, Divinus confirmati præsidii fortius resistere possimus. Launojus etiam, circa temporis circumstantiam, quo disciplina baptizandi in diebus Solemnioribus abrogari cepit, sequentia notata digna observavit: *Primò*, certum esse, baptizandi hunc ritum nullo Canone universalis Concilii, quod ex Latinis simul & Græcis Antistitibus coaluerit, esse abrogatum. *Secundò*, certum esse etiam, hunc baptizandi ritum nullo Canone universalis Concilii, quod Latina (solum) habuerit Ecclesiâ, esse abrogatum. *Tertio*, certum esse idem, hunc ritum baptizandi nullo etiam Decreto Romanorum Pontificum esse abrogatum. *Quarto* tandem, ritum hunc baptizandi post Magistrum Sententiarum abrogari paulatim cepisse, & quod post quædam circa observationem *septimam* notat Launojus, hanc baptizandi disciplinam non ubique simul, sed quibusdam in locis citius, in aliis tardius abrogatam fuisse, additis circa *nonam* observationem duabus & communibus Scholasticorum penè omnium rationibus, quibus tandem sit effectum, ut hæc baptizandi disciplina abrogaretur, *Thomâ Aquinate* eas exponente; unâ quidem, quâ dilationem statuit prætermittendam, quando, qui sunt baptizandi, perfectè adparent instructi & ad Baptismum idonei, sicut *Philippus* Eunuchum, & *Petrus Centurionem* cum suis statim baptizârunt; alterâ autem propter**

infirmatam aut propter aliquod periculum mortis, Leone Papá, rigidissimo aliás anti-
 qui moris observatore, hic tamen connivente, de quibus utur fat facilibus & expeditis
 rationibus, quæ nihilo-minus suas habuerint vices, & variam sint experta fortunam, por-
 rō id etiam *Launojus* observat, eas non movisse Sanctos Patres & Episcopos per annos
 mille ducentos & eò amplius Occidentalem gubernantes Ecclesiam; non movisse Con-
 cilia, qui eandem Sacris Canonibus temperatint, *movisse tamen* & tandem primi & se-
 cundi ordinis Sacerdotes posterioribus Seculis Ecclesiam administrantes, sed paulatim
 & veluti sensim sine sensu, *usque dum vetus ille baptizandi ritus in defuetudinem abiret.*
 Quæ hâc occasione ex parte Evangelicorum contra Papæos tanquam nimios Cere-
 moniarum veteris Ecclesiæ admiratores notari possent, non urgeo, ea Lectoris
 studiosi iudicio commendans. Addo tantum, quæ laudatus antea non semel *Vice-Comes*
 pluribus huc pertinentibus & partim supra jam adductis subjunxit: *Ex quo ea mutari*
tempora Sanctis Patribus est visum, omnes in id toto incubuerunt pectore, ut nati infantes
quàm-primum in Ecclesiam, aut omninò ante nonum diem, ad Baptismum deferrentur. Tertia
 super adhuc est classis ceremoniarum, quæ Baptismum sequi dicuntur, ex quâ secundam
 numero & ordine sistit Bellarminus unctionem *Chrismatis in vertice*, quam & distinguit
 ab eâ unctione, quam inter ceremonias Baptismum antecedentes refert, ac numero &
 ordine *undecimam* recenset, quaque ante Baptismum Catechumenos *oleo benedicto in*
pectore & scapulis unctos scribit, ac utriusque unctionis ante & post Baptismum memi-
 nisse *Augustinum* monet; sed & distinguit ab ea unctione, de qua tanquam singulari Sa-
 cramento, quod Confirmationis dicitur, sequenti & peculiari libro agit, ejus materiam
 statuens *non oleum simplex, sed Balsamo mixtum*, ac Ministrum esse dicens *solum Episco-*
pum, alias etiam addens Ceremonias ab unctione Baptismali differentes, de quo Con-
 firmationis vel unctionis Sacramento proximè ex *Augustino* amplius erit agendum.
 Nunc id moneo, Bellarminum & omnes Papæos Scriptores Ejus vestigia legentes,
 circa distinctionem unctionis, (quam etiam simplicem, non duplicem, olim ad tempus
 aliquod in Ecclesia Veteri usitatam fuisse Evangelici non negant, necessariam verò
 eam observatu hodiernum esse inficiantur) in Baptismo adhibitæ, à peculiari unctionis
 Baptismalem Gratiâ confirmantis Sacramento, entia præter omnem multiplicare ne-
 cessitatem, & quod ad præsens pertinet Institutum, sine *Augustini* auctoritate, ad
 quam nihilominus provocare ausus est Bellarminus. Ut enim de Authore & auctori-
 tate illius Sermonis non dicam, in quo *Augustinum* utriusque unctionis, Baptismi Sa-
 cramentum & antecedentis & consequentis, meminisse dixit; nihil in eo continetur,
 quod duplicem in hujus Sacramenti administratione jubeat fingere unctionem. Ver-
 ba, ad quæ respexisse videtur Bellarminus, (neque enim ea adponere est ausus, ne fraus
 Lectori pateat) hæc sunt: *Omnes, qui ad salutare Baptismum consequendum offeruntur Ec-*
clesiæ, & chrisma & oleum Benedictionis accipiunt, ut jam non Vasa vacua, sed Deo plena, &
Templum Dei esse mereantur. In his verbis dum chrisma & oleum particulâ *ET* distin-
 guuntur, Bellarminus etiam duas unctiones distinctas significari putavit, cum tamen
 infinitis ex Sacro Codice, ipso etiam *Augustino* exemplis possit ostendi, unam rem ean-
 demque diversis, hac intercedente particulâ, vocabulis exhiberi; diversis inquam vo-
 cabulis, quæ non res diversas sistunt, sed rem unam eandemque, ut dixi, posteriori ut-
 plurimum vocabulo antecedens explicante. Et ne frustra id dixisse videar, ita Au-
 gustini, si modò Augustini, verba hæc intelligi debere, de una nimirum, & non duplici
 unctione; vincunt omnia Ejus loca, quæ de unctione Baptismali agunt vel agere viden-
 tur, utpotè quorum nullo duplex occurrit unctio, sed una tantum & simplex, id quod
 Examen locorum ostendet, quæ Bellarminus ad demonstrandum Confirmationis Sa-
 cramentum adduxit. Nunc ea inter attendisse sufficiat, quæ laudato Antiquitatum
 Baptismalium Scriptori, *Iosepho Vice Comiti*, ad hujus unctionis Baptismatis confirma-
 tionem placuit Lectori commendare. Postquam enim *Honorium Augustodunensem*,
Richardum Anglicum, Guilielmum Lindanum, Guilielmum Durandum, Jacobum quoque Pa-
melium graviter (quo jure, quæve injuria, hic non attendo;) perstrinxit, quod triplicem,
 ante videlicet Baptismum, post Baptismum, & in peculiari Confirmationis Sacramento
 adhibitam unctionem, earumque quasi diversarum distinctionem non advertentes *Veterū*
Ecclesiæ Scriptorum confuderint testimonia, & ad unam unctionem, quæ tribus diversissimis com-
petunt, retulerint: ut causas indicaret, quarum respectu hæc unctio Baptismalis, quâ Bellar-
 minus in tertia Classe & inter Ceremonias Baptismū sequētes recensuit adhibeatur ad tria
 provocavit Augustini, præter aliorum Ecclesiæ Doctorum, testimonia, quæ tamen omnia &

Lit. cit. c.
23. p. 67.Serm. 206.
de Temp.L. V. c. 3
pag. 310.

Lib. 15. de Trin. c. 26. Tract. 33. in Johan. num. 342.

singula non nisi unius Unctionis, faciunt mentionem. Primum est: *Unguento visibili, quo baptizatos ungit Ecclesia, Donum Gratiæ significatur.* Secundum: *Christi nomen à chrismate dictum est, Chrisma autem Gratiæ, unctio Latine nuncupatur.* Ideo autem nos unxit, quia lucas *zores contra Diabolum fecit.* Tertium huic simile est, & ab hoc indubie desumtum, quod *Prosper, Augustini discipulus, & juxta quosdam alter Augustinus, in Sententiis ex Augustino collectis habet: Christi nomen à chrismate est, id est, ab unctioe, quia (forte, quâ) idcirco omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se non solum Sacerdotalis & Regiæ Dignitatis esse consortem, sed etiam contra Diabolum fieri luctatorem.* Quamvis si duo hæc posteriora Augustini & ex Augustino *Prosperi* testimonia accuratius, ut par est, inspiciamus, non de unctioe visibili, de quâ in primo agitur, sed in visibili & spiritali in iis Sermo sit, comparatione institutâ unctiois Christianorum cum unctioe Christi, à quo dicuntur Christiani, sicut ille Christus à chrismate & unguento vel unctioe, non certe visibili, quo Eum in Baptismi susceptione à Johanne Baptistâ unctum fuisse non legimus; sed omnino invisibili, quo humanam in primo Unionis, quæ ob Mysterium inexplicabile dicitur *personalis*, momento Naturam Deus Pater juxta Regii Vatis Oraculum unxit *præ consortibus*, qui tamen hujus etiam unctiois ex parte fiunt participes, dum vi scederis & Gratiæ Baptismatis tanquam membra cum Eo tanquam Capite propius junguntur & uniantur, à quo flumen Donorum & sanctificantium & administrantium in totum corpus derivatur, & quidem sine unguento vel unctioe visibili, quod ad Augustini mentem rite percipiendam sequenti de Confirmationis Sacramento tractationi fuit omnino præmittendum.

LIBRI SECUNDI CAPVT SEXTVM ET SEPTIMVM,

DE

Sacramento Confirmationis.

Lib. 15. de Trin. c. 26. Conc. 11. in Psal. 26. Lib. III. de Bapt. cap. 16. & Tract. 6. in Epist. Joh. Lib. II. contra lit. Petil. cap. 104.

Q uinque diversis Augustini locis & testimoniis utitur Bellarminus, ut eam Confirmationem vel unctioem, quam à præcedente duplici unctioe, tanquam ceremoniis Baptismalibus distinguit, Sacramentum propriè & verè dictum esse demonstrat, prolixissimè insuper respondens ad ea, quæ Chemnitius & Calvinus ex Augustino contra hoc Sacramentum observârunt. Quæ ad priorem hujus tractationis partem pertinent, hæc sunt: *Augustinus dicit, Ecclesiam adhuc servare, quod fecerunt Apostoli, ut Eius præpositi manus imponant ad Spiritum Sanctum accipiendum, ibidem etiam meminit Chrismatis.* *Alibi dicit, hæc unctioe spiritaliter homines perfici.* *Item alibi dicit, Nunc quidem linguis non loqui, quibus post Baptismum manus imponuntur; Reverà tamen accipere Spiritum Sanctum, & latenter atque invisibiliter infundi charitatem.* *Sed præcipuus est sequens locus: In hoc unguento Sacramentum chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacramentum est, sicut ipse Baptismus, sed esse potest in hominibus pessimis: Et infra: Dicitur ne igitur visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis & in malis potest; illis ad præmium, istis ad judicium, ab invisibili unctioe Charitatis, quæ propriè bonorum est.* *Hæc Augustini testimonia & loca à Bellarmino pro Confirmationis & unctiois post Baptismum Sacramentalis demonstratione, dum non sunt unius generis, specificam quoque requirunt considerationem.* Et primus quidem, tertius item & quartus de impositione manûs vel manuum; secundus verò & quintus, in quem ultimum Bellarminus omnem suam spem collocat, de unctioe agunt. De utrisque videndum, an ad Sacramentum Confirmationis à Baptismi Sacramento distinctum pertineant. Impositionem manûs vel manuum quod attinet, in *vindictis & Anti-Ottomanis & Anti-Thomisticis* antehac ostensum fuit, quæ lis & controversia ante Annos non ita multos, inter celeberrimos hujus Seculi & satis eruditos Scriptores, *Petrum Aurelium*, vel potius *Johannem Vergerium Haurannium*, Abbatem in Biturigibus San-Cyranum, & singulari Regis Galliarum Privilegio, jussu item, adeoque & nomine, & impensis *Cleri Gallicani*, sua de præfenti Quæstione opera iteratò & magno cum plurimum adplausu publicantem ex una, ex alterâ verò *Jacobum Sirmondum*, in Antiquitate Ecclesiasticâ præ aliis sua Societatis ho.